
ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

ANTONII STORCK,

Sacræ Cæs. Reg. Apost. Majestatis Consiliarii Aulici, Archiatri, & in Nosocom. Civico Pazmar. Physici,

ANNUS MEDICUS

PRIMUS,

QUO SISTUNTUR

OBSERVATIONES

Circa Morbos acutos & chronicos, adjiciunturque eorum curationes, & quædam anatomicæ cadaverum sectiones.

TOMUS PRIMUS.





VIRO ILLUSTRISSIMO


GERARDO

L. B. VAN SWIETEN,

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS & Imperatricis a Consiliis, Archiatror. Comiti, Bibliothecæ augustæ Præfecto, inclyt. Facult. Medic. Vienn. Præsidi perpetuo, necnon Academiæ Reg. Scient. & Chirurg. Paris. Institut. Bononiens. & Litter. Incognitor. Membro, &c.

Hos primos praxeos Medicæ conatus
Seque totum dat & consecrat,

ANT. STORCK.



VIR ILLUSTRISSIME,

TANTA Fratri meo mihique præstitisti beneficia, ut nullus omnino locus superesse videatur, quo TIBI *sufficientes gratiæ possent referri.*


Etenim Fratrem meum primum ex tuis Discipulis hac in alma Universitate Professorem Regium fecisti creari; & postquam nimia Aulæ *negotia medica tibi e Cathedra dicendi otium negaverunt, tuam quoque Cathedram, tuam*

docendi Provinciam *ipsi tradidisti. An quid majus? An quid honoratius sperare licuisset?*

Mihi vero a primordio praxeos meæ non solum consiliis, quæ rem medicam, sed & consiliis, quæ fortunam concernunt, lubenti semper animo paterne succurristi, & sensim tantam in me confidentiam posuisti, ut te favente nosocomium Pazmannianum *meæ curæ traditum fuerit.*

Concede ergo, *VIR SAPIENTISSIME, ut pro aliquo saltem gratitudinis testimonio has pagellas tuo nomini inscribam; suscipe eas benigno (ut soles) vultu; & me tuis gratiis ulterius fove. Vale.*





PRÆFATIO.

Sunt, qui autumant, ægros in nosocomiis decumbentes aut negligi, aut remediis quandoque nimium violentis impugnari, & hac ratione sibi persuasum habent, Medicos de similium ægrorum vita haud multum esse sollicitos.

Dum igitur sat magnum nosocomium meæ curæ traditum fuit, putavi: officium Medicum, amorem proximi, & propriam conscientiam postulare, ut ea omnia sedulo observentur, adnotentur, atque demum fideliter describantur, quæ circa nosocomii ægros acta sunt, & aguntur; neque propterea licuit, eos reticere casus, qui sinistro eventu fuerunt terminati.

Die decimo menſis Julii 1758, *Eruditiſſimo Aulæ Medico* JOSEPHO HABERMANN in rebus noſocomii gerundis ſucceſſi, & ab eo tempore omni octiduo numerum acuta febre decumbentium, & acuta mortuorum conſcripſi: ut inde pateſceret, has obſervationes non ex uno alterove ægro deſumptas, verum ex numeroſis collectas eſſe & confirmatas.


Materiem de Morbis acutis in menſes diviſi, & quænam peculiaria ſymptomata quolibet menſe ſupervenerint, quæve curandi methodus ſuffecerit, ſimul recenſui.

Morbi chronici ſolummodo ii nunc adferuntur, qui hoc anno in noſocomio maxime communes fuerunt; de aliis quidem plurimis varia quoque & pulchra obſervata habeo, verum, quoniam majori adhuc at-

tentione opus habent, & numerosioribus exemplis confirmari debent, ea in aliud tempus rejicienda judicavi.

Sub finem adduntur quædam anatomicæ Cadaverum Sectiones, & formulæ Medicæ in Nosocomio usitatæ.

Quæ deinceps notatu digna observavero, fideli semper calamo adnotare, & referre conabor.



NUMERUS acuta febre decumbentium, & acuta mortuorum in Nosocomio a 10. Jul. 1758. usque ad 2. Jul. 1759.

A 10. . . . . *ad* 17. *Jul. fuerunt*
Ægri acuti . . . 17.
Mort. . . . 0.
A 17. . . 24. *Jul.*
Ægri . . 15.
Mort. . . 1.
A 24. . . 31. *Jul.*
Ægri . . 35.
Mort. . . 4.
A 31. *Jul.* . . . . *ad* 7. *August.*
Ægri . . 25.
Mort. . . 3.
A 7. . . 14. *August.*
Ægri . . 34.
Mort. . . 3.
A 14. . . 21. *August.*
Ægri . . 15.
Mort. . . 0.
A 21. . . 28. *August.*
Ægri . . 24.
Mort. . . 1.
A 28. *August.* . . . *ad* 4. *Septembr.*
Ægri . . 26.
Mort. . . 1.
A 4. . 11. *Septembr.*
Ægri . . 39.
Mort. . . 1.

Ab 11. . 18. *Septembr.*
Ægri . . 33.
Mort. . . 1.
A 18. . 25. *Septembr.*
Ægri . . 28.
Mort. . . 0.
A 25. *Septembr.* . . . *ad* 2. *Octobr.*
Ægri . . 32.
Mort. . . 0.
A 2. . . 9. *Octobr.*
Ægri . . 43.
Mort. . . 1.
A 9. . . 16. *Octobr.*
Ægri . . 40.
Mort. . . 0.
A 16. . . 23. *Octobr.*
Ægri . . 42.
Mort. . . 0.
A 23. . . 30. *Octobr.*
Ægri . . 37.
Mort. . . 2.
A 30. *Octobr.* . . . *ad* 7. *Novembr.*
Ægri . . 35.
Mort. . . 2.
A 7 . . 13. *Novembr.*
Ægri . . 28.
Mort. . . 2.
A 13. . . 20 *Novembr.*
Ægri . . 40.
Mort. . . 0.
A 20. . . 27. *Novembr.*
Ægri . . 34.
Mort. . . 2.


A 27. *Novembr.* .. *ad* 4. *Decembr.*
Ægri . . 37.
Mort. . . 1.
A 4. . . 11 *Decembr.*
Ægri . . 39.
Mort. . . 2.
Ab 11 . . 18. *Decembr.*
Ægri . . 42.
Mort. . . 0.
A 18. . 25. *December.*
Ægri . . 50.
Mort. . . 1.
A 25. *Dec.* 1758. ... *ad* 1. *Jan.* 1759.
Ægri . . 39.
Mort. . . 1.
A 1 . . . 8 *Jan.*
Ægri . . 48.
Mort. . . 0.
A 8. . . . 15. *Jan.*
Ægri . . 40.
Mort. . . 2.
A 15. . . 22. *Jan.*
Ægri . . 52.
Mort. . . 4.
A 22. . . 29. *Jan.*
Ægri . . 50.
Mort. . . 6.
A 29. *Jan.* . . . . *ad* 5. *Febr.*
Ægri . . 53.
Mort. . . 3.
A 5. . . 12 *Febr.*
Ægri . . 57.
Mort. . . 2.

A 12. . . 19. *Febr.*
Ægri . . 82.
Mort. . . 4.
A 19 26 *Febr.*
Ægri . . 74.
Mort. . . 5.
A 26 *Febr.* . . . . ad 5 *Mart.*
Ægri . . 70.
Mort. . . 3.
A 5. . . 12. *Mart.*
Ægri . . 65.
Mort. . . 2.
A 12. . . 19 *Mart.*
Ægri . . 50.
Mort. . . 1.
A 19. . . 26. *Mart.*
Ægri . . 55.
Mort. . . 3.
A 26 *Mart.* . . . . ad 2. *April.*
Ægri . . 49.
Mort. . . 2.
A 2. . . 9. *April.*
Ægri . . 52.
Mort. . . 1.
A 9. . . 16. *April.*
Ægri . . 55.
Mort. . . 2.
A 16. . . 23. *April.*
Ægri . . 43.
Mort. . . 2.
A 23. . . 30. *April.*
Ægri . . 50.
Mort. . . 2.

A 30. *April*. . . . . *ad* 7. *Maii*.
Ægri . . 48.
Mort. . . 5.
A 7. . . 14. *Maii*.
Ægri . . 45.
Mort. . . 3.
A 14. . . 21. *Maii*.
Ægri . . 47.
Mort. . . 2.
A 21. . . 28. *Maii*.
Ægri . . 50.
Mort. . . 3.
A 28. *Maii* . . . . *ad* 4. *Jun*.
Ægri . . 39.
Mort. . . 2.
A 4. . . 11. *Jun*.
Ægri . . 42.
Mort. . . 1.
Ab 11. . . 18. *Jun*.
Ægri . . 50.
Mort. . . 3.
A 18. . . 25. *Jun*.
Ægri . . 44.
Mort. . . 2.
A 25. *Jun*. . . . . . *ad* 2. *Jul*.
Ægri . . 35.
Mort. . . 1.



DE



DE GENERE
VERE ET EXQUISITE MEDICALI,
QUO
OPERA ISTA SCRIBUNTUR;
DISSERTATIO
PRÆLIMINARIS
AUCTORE

B. AUBERT,
Barj. Doct. Med. Monsp.

Ad Artem Medicam vere ac proprie non pertinere eam disciplinæ nostræ partem, quæ nimium tribuit speculationibus, hominum est prudenter ac considerate loquentium.

BAGLIVI Prax. l. I. c. I.

ARTEM Medicam sola experientia fecit, eamdem sola experientia perficiet. Quid boni retulimus ex tot & tantis

ſpeculationibus, meditationibus, diſputationibusque ſyſtematicorum? Nil, niſi Artis remoras, temporis ingeniorumque diſpendium. Tandem reſipiſcunt ſanitatis Miniſtri, undique obſervationes & experimenta colligunt, ipſiſque antiquam & bene meritam reddunt reverentiam. Inter cætera obſervationum monumenta, quæ ætas noſtra extulit, eminent Storckii & Collini anni medici. Opera iſta veram ac genuinam ſapiunt medicinam. Miſſa enim ſcholarum garrulitate, miſſis inanibus commentis, res & facta ferunt, morborum ipſis commiſſorum ſucceſſiva phœnomena fideliter narrant, ex his indicationes ſumunt, medicamenta jubent, eorum effectus exponunt bonos, malos, nullos, prætereaque nihil. Quia præterea nihil eſt.

Nonnullis forſan ſpeculatoribus propoſitio hæc noſtra minùs arridebit. Hiſtoriam vero praximque medicam attento animo perluſtrent, ipſiſque patebit, ſi ſuorum ſyſtematum amore non omnino obcœcentur, quod diagnoſis, prognoſis, dogmata & inventa curativa, cæteræque artis partes per ſola facta ſtent & accreſcant, nihilque aliud ſint quam mera factorum hiſtoria.

Viderat Hippocrates in thaſo Dealça-

dis uxorem (*a*) ſemper tacitam, manibus palpantem, ſcalpentem, pilos legentem, parum, & ſi commonita, bibentem, non dormientem, pauce & tenue mingentem, phrenitide emortuam. Viderat adoleſcentem quemdam in Mælibea (*a*); viderat alibi (*a*) alios phreniticos iiſdem ferme ſymptomatibus vexatos. Unde ſtatuit, quod mentis emotiones tremulæ, palpantes phreniticæ ſint; quod plerique phrenitici parum bibant; quod taciturnitas, inſomnia, urina tenuis & pauca ſint inter ſigna perniciosarum mentis emotionum (*b*). Eadem via, obſervatione ſcilicet repetita Aurelianus invenit quod teneſmus ſit præcipuum ſignum fœtus in utero mortui (*c*). Repetita, Baglivius rem confirmavit (*d*). Eodem modo ab obſervatoribus, minime vero a theoreticis accepimus, quod in nephritide calculoſa, hemicrania, ſtupor crurum, retractio teſticuli ſint e directo, in capitis vero percuſſionibus, hemiplegia

(*a*) Epid. lib. III. §. III. œgr. 15. 16. 4.
(*b*) Coac. prænot. ſect. 1. cap. 1.
(*c*) Cœlius Aurelianus, cap. de fœt. mort.
(*d*) Baglivi prax. l. 2. cap. 8.

aut membrorum stupor ex opposito. Ab ipsis didicimus quod dolor in imo glande penis sit inter certissima calculi vesicæ signa, quod inflammationes internæ dum febris continua in intermittentem mutatur in apostema, & suppurationem transeant (*e*), in gangrænam vero, dum perstantibus malis symptomatibus, dolor subito cessat. Ab ipsis didicimus quod fluor albus mulierum a gonorrhea præsertim dignoscatur, ex eo quod supervenientibus menstruis perseverat fluxus gonorrhicus, evanescit vero albus (*f*). Iisdem tamen autoribus hanc diagnosim circumscribemus, dum observaverint alii fluxus albos, qui e vagina erumpentes per menstruationem ac per graviditatem non cessant (*g*). Hæc & alia diagnostica omnia, quæ his adjicere facillime foret, nil sunt, nisi facta & observatorum munera. Illos nunc consideremus simili modo prognosim medicam ditantes, dum theorici somnia, verba ac voces excogitant, dividunt, ergotisant, ineptiunt.

(*e*) Hipp. Aretœus. Morton. Baglivi Lugd. 1745. p. 34. 36. 145. Le Roy. du pronostic, n°. 474. ad 478.

(*f*) Baglivi prax. lib. 2. cap. 8.

(*g*) Mead monita & præcepta.

Hippocrates colligens celebres 42 historias libri primi & tertii morborum popularium, ac observans quod ii omnes qui coloris naturalis urinas habuerunt, invitis malis quibusque symptomatibus salvi facti sunt; practici similes casus offendentes conclusere quod bonæ urinæ in diris quibusque morbis spem alant maximam. Eosdem observatio quotidiana docuit quod cruditates diuturnitatem morbi, aut infelicem exitum generaliter significent. Attamen ex historiis Metonis (*h*), Herophiti, mulieris in Thaso decumbentis, virginis Larissenæ (*i*), adolescentis apud Galenum celebris (*k*), & similibus concludunt quod in ipso irritationis & cruditatis tempore largæ hemorrhagiæ, muliebriumve vacuationes aliquando ardentes febres de subito tollant, aut valde imminuant (*l*). Largas etiam illas ac utiles hæmorrhagias ab ipsis præsagire disces ex capitis ac temporum gravitate, insomniis, delirio, facie & oculis rubentibus, iis dolentibus, aliquando & lacrimantibus,

(*h*) Epid. l. 1. œgr. 8.
(*i*) Epid. l. III. §. III. œgr. 9. 11. 12.
(*k*) Lib. de prœnot. ad posthum. cap. 13.
(*l*) Epid. 2. §. 1. Coac. §. 1. prœnot.

narium pruritu (*m*), pulsu dicroto (*n*). Cavebis vero largarum hemorrhagiarum laudes ad parvas & minimas extendere, si historias Philici, uxoris Dromeadis, Parionis (*o*), similesque noveris. Cum Hippocrate contra funesta quæque præsenties, dum sanguis paucus guttatim e naribus stillabit (*p*). Illa autem præsagia non ex idearum regione, non ex systematum pelago, non e scholarum argutiis deduces, sed in ipso naturæ sinu hauries, aut in paucis eorum observatorum libris, qui longa & familiari consuetudine illius mores cognoverunt & depinxerunt. Cum ipsis percurre morbos capitis, cephalalgiam, delirium, ophthalmiam, disces quod alvi fluxus illis generaliter salutaris sit (*q*). Percurre morbos pectoris, peripneumoniam, pleuritidem, tabem pulmonarem,

---

(*m*) Epid. l. I. §. 2. Coac. §. I. Galen. method. ad Glaucon. l. I. cap. ultim.

(*n*) Novæ observat. ex pulsu primum factæ a Solano, auctæ a J. Nihell, §. I. cap. I.

(*o*) Epid. l. I. ægr. I. II. liv. 3. sect. 3. œgr. I.

(*p*) Coac. præn. sect. I. & 3.

(*q*) Hipp. aphor. sect. VI. aph. 17. sect. VII. aph. 5. Baglivi, p. 102.

comperies quòd idem ille fluxus iis tristis sit præsagii (*r*); quòd abcessus ad crura, pedes, aures, aliasque partes externas longe melioris ominis sint (*s*); quòd illæ pulmonum inflammationes quæ anginæ succedunt (*t*), quæ russis accidunt (*u*), in quibus ægri erecti tantum sedere volunt (*x*) reformidandæ sint. Mera phœnomena sunt hæc omnia, nec aliud esse possunt. Cunctos percurre morbos, & ut nullum dignoscendi ita nullum præsagiendi principium invenies, quod merum non sit phœnomenon & observatorum munus. Principia vero curativa & remediorum inventio cui debeantur? An inter observata phœnomena annumeranda sint? An inter imaginationis fœtus propriis ingenii viribus & a priori productos?

Pastor Melampus observat furentes capellas ab helleboro purgari & sanari,

---

(*r*) Hipp. aphor. sect. v. aph. 14. §. vi. aph. 16. Baglivi. p. 35.

(*s*) Baglivi, p. 34. & 37.

(*t*) Hipp. aph. sect. v. aph. 10.

(*u*) Ballonius ephemer. lettres de Gui Patin, tom. I. lettre CI.

(*x*) Baglivi, p. 34.

eodem posthac remedio insanientes regis filias sanat. Hippocrates vidit vomitibus spontaneis diarrhæam sisti (*y*), inde vulgatissima praxis fluxus alvinos emeticis curandi. Vidit in pulmoniis tumores ad crura optimos esse, unde Baglivius felici successu iis partibus vesicantia admovit (*z*). Epilepsiam sanaverant manantia capitis ulcera, unde & artificialia profutura conclusit Tulpius (*a*). Jamque remedium hoc Celsus commendaverat (*b*). His vero enumerandis supersedeamus, ac generaliter cum hoc medicorum Cicerone dicamus: *Hæc similiaque cum quotidie inciderent, diligentes homines notasse quæ plerumque melius responderent, deinde ægrotantibus ea præbere cœpisse, sic Medicinam ortam* (*c*), sicque nunc permanet; neque scientia nostra de medicamentorum operationibus ultra sensuum captum extenditur. Veri practici a solis juvantibus, & lædentibus huc usque illorum inventionem promovent. Continuo cum

(*y*) Aph. sect. VI. aph. 15.
(*z*) Pag. 37.
(*a*) Observ. med. observ. 8.
(*b*) Medicin. l. III. cap. 23.
(*c*) Ibid. in præf.

Hippocrate dicunt: *Si conducat bonum* (*d*). Cum Sydenhamo, *nil ultra quam res loquitur ſapere audeo* (*e*).

Qui minus cauti iſtos humani ingenii limites tranſcendere volunt, miſere hinc inde offenduntur, ſeque ſuaque illidunt. Riverius, cui apud nos magni cognomen, longe major eſt in obſervationibus cum curationes ſuas ſimplici calamo profert, quam cum in ſuis inſtitutionibus, ſui temporis hypotheſes immenſo volumine exponit. Dum loquitur de vaporibus tetris, qui per cauterii emiſſarium velut è vulcano quodam difflantur, dum in extremitatum doloribus fingit fumos per crura deſcendentes, cachinnos libenter tollerent neoterici. Non eſt tamen quod hunc irrideant, cum ipſos explicationum maleſana cupido teneat, neque in his condendis feliciores evadant.

Jamdudum Medici ſpiritum cornu cervi, ſpiritum ſalis ammoniaci, alcali fluidum, fluentem, *fluorem*, ſi velis, quid de nomine? In affectibus ſyncopalibus, ſoporoſis, paraliticis aliiſque

(*d*) Aphor. ſect. 1. paſſim.

(*e*) Sydenh. oper. apud fr. de Tournes, ult. edit. vol. 1. p. 146.

adhibebant; celeber supervenit Chymicus, *Sapiens* dicam, necne? qui remedium hoc, felici & invidendo successu in diversis asphyxiæ casibus adhibuit. Quæ est vero hominum lævitas! agere non contenti, garrire pruriunt, ipsisque non sufficit solida factorum gloria, ni huic explicationum gloriola accedat. Is alcali volatilis in asphyctos effectus a sola acidi in pulmonibus suppositi saturatione deduxit. Hæc vero explicatio, si nostram sententiam in medium proferre licet, & contra scientiarum fundamentale principium, & contra principia chymica, & contra phœnomena medica peccat.

Principium in colendis scientiis fundamentale est, ut phœnomena alterius non transferantur in alteram. *Dans toute science naturelle*, ait Monspeliensis cancellarius, *les hypotheses qui ne sont point déduites des faits propres à cette science, doivent être regardées comme étrangeres à la bonne méthode de philosopher* (*f*). Jam Baglivius conquestus erat de istis scientiarum profitentibus, qui solent de altera per præcepta leges-

(*f*) Elémens de la science de l'hom. disc. prélim. p. 9.

que alterius judicare (*g*), nostrosque Chymicos sœpissime hoc vitio affectos palam redarguit D. Majault (*h*). Si Chymicis dicerem : Gas fermentationis & effervescentiæ acidum est, quia ut acida antisepticos effectus edit in corpore. Subito responderent tua probatio non admittenda, quia non chymica. Sibi pari jure dicant : Acidi & alcali saturatio non est factum medicum, non est phœnomenon ex œconomia animali desumptum, ergo in corporis profundo non transferenda (*i*).

(*g*) Prax. med. lib. 1. cap. 7. n°. 3.

(*h*) Observations critiques & pratiques sur les contrepoisons, lues à l'assemblée publique de la faculté de méd. de Paris, par M. Majault.

(*i*) Hîc non loquimur de saturationibus illis, quæ in corporis peripheria aut etiam in ventriculo locum habere possunt, quæ aliquo modo externæ, cum proprio corporis gubernio nil commune habent. De corporis profundo loquimur, de intimis recessibus ubi actiones modis vitalibus, id est inexplicabilibus, non chymicis, œconomiæ animali heterogeneis execuntur.

Fermentatio est aliud exemplum illorum phœnomenorum quæ Chymici, ex corporibus mortuis ad viventia transferre voluerunt. D. Roux publice Parisiis per multos annos docuit, alimentorum digestionem in ventri-

Peccat deinde hæc hypothesis contra principia chymica. Chymia nullam saturationem sive dissolutionem admittit, nisi substantiæ saturandæ in contractu sint. Hîc vero una substantia in pulmonibus supponitur, dum alia aquæ immixta ad ventriculum defertur. Et certe alcali volatile haustum cum aqua non magis tracheam-arteriam ingreditur, quam Gas sive acidum volatile antiemetici Riveriani, in ipsa effervescentia exhibiti. Attendas vero, ais, quod alcali volatile naribus etiam admovetur. Attendas ipse, quod ex una parte pulmones spasmo clausos constrictosque ponis, &

---

culo meram esse fermentationem. Ejus hypothesis, ex factis phisiologiæ heterogeneis traducta, manifeste a digestionis phœnomenis contradicitur. Duo viri uvas similiave alimenta facile fermentantia sumunt. Unus relative, ad ventriculi sui vires sumit, brevi digerit, nihilque incommodi patitur. Alter in edendo viribus non consulit, oppressæ vires alimentum suo genio permittunt, fermentatio excitatur, suisque phœnomenis se prodit, intestinis scilicet motibus, flatibus, ructibus, quibus miser excruciatur. Pessimam operam hominibus, præstarent Chymici, si fermentatio, ad illorum vota, digestionis locum in uno quoque sumeret.

ex alia effectus instantaneos dicis; attendas quod omnis respiratio cessavit: atqui alcali sine respiratione pulmones subire nequit, atqui respiratio excitatur ante saturandorum contactum; in isto igitur exhibendi modo alcali in naribus agit, ut in alio, in œsophago & ventriculo egit.

Peccat insuper hæc hypothesis contra facta medica. Medici ad vitam revocant asphyctos cum diversis remediis, imo & oppositis; D. Portal cum aceto (*k*), à quo morbus augeretur, si quid veri esset in ista saturationis theoria; D. Buquet cum spirituosis quibuscumque (*k*); D. Dupau, sola in plantis pedum irritatione (*l*). Iis omnibus modis asphyxia absque saturatione curatur. Sed & ipse alcali in multos agit casus, ad quos nequidem ab ipso systematis autore, saturatio extenderetur. Apud Sauvagesium (*m*) puella catalepsi detenta odorem spiritûs salis ammoniaci ad decem pedum distantiam percipiebat,

(*k*) Mémoires imprimés à ce sujet, & lus dans des assemblées publiques.

(*l*) Gazette salutaire, 1779. n°. 17. Journal encyclopéd. prem. avril.

(*m*) Nosolog. method. *in*-4°. t. 1. p. 825.

& manibus utens, ab affectu consequenter libera, nares arctabat. Singulis diebus asphyxias à pathemate eodem modo sanantur, ut leipothymias histericarum solo ustæ plumulæ odore. Et si mihi offerretur neophitus propter debilitatem primæ inspirationis privatus, cognitis remediis adjungere non recusarem alcali volatile prudenter naribus admotum. Agit ergo illud alcali ubi nequidem ulla suspicio est acidi saturandi.

Si hujus facti explicatio a me peteretur, responderem quòd irritatio pedum, frigidæ projectio per corporis peripheriam, spirituosorum, sive altalium, sive acidorum oblatio unum & idem sint remedium, scilicet excitatio virium suffocatarum, aut si malint, principii vitæ sopiti. Hæc autem mea explicatio nihil aliud est quam facti sub verbis aliis repetitio, sive traductio. Fatendumque quòd explicationes medicæ quæ nil opinioni concedunt, nihil aliud sint quam similem factorum traductionem, ut & notiones multæ, sic reputatæ de quibus homines sibi plaudunt. *Celui qui dit que deux & deux font quatre, a-t-il une connoissance de plus que celui qui se contenteroit de dire que deux & deux*

sont deux & deux (*n*)? De similibus explicationibus tanquam de splendidissimo lumine leviora ingenia sibi gratulantur, sagaciora in his nihil ultra facta deprehendentes, factorumque contenta, has tantum negligunt, dum cæteras omnes aut opinionibus aut heterogeneis factis fundatas omnino spernunt & projiciunt.

Explicationes vero & explicatores linquamus, atque ex tædio quòd sola unius discussio hîc peperit, & de quo lectori veniam libenter peterem, concludamus quam noseosi sint libri ab apice ad calcem iis refarcti. Ad observatores redeamus, plus emolumenti ac voluptatis a paucis Storckii paginis accepturi, quam ab immensis systematum voluminibus. Jam ostendimus quod ipsis diagnosim, prognosim, principia & inventa curativa ipsis debeantur, idemque faciliter ostenderetur de cæteris omnibus medicorum notionibus. Sed est & aliquid majus. Notiones, utut amplæ sint, non solæ medicum efformant. Illi insuper acquirendum est professionis mens & ingenium, sublimis

(*n*) D'Alembert, mélanges, tom. I. p. 46.

illa facultas celeriter & juste judicandi, unumque consilium ex multiplicatis & diversis indicationibus simul capiendi, quæ in quibusdam casibus inspirationis caracterem assumit hominemque a mortalibus ad deos evehit. Nequicquam divinam illam artem a theoreticorum disputationibus repeteres. Solo usu, ac nocturna diurnaque observationum meditatione acquiritur.

Ars igitur medica in merum empirismum abibit & facesset? Si juxta nativum nominis tenorem per empirismum experientiam intelligis, fatemur, imo & gloriamur, quod legitima Medicina sit scientia experimentalis. Si ex nominis abusu, empirismum confundis cum vaniloqua illa agyrtarum & circumforaneorum arte, quam Galli *Charlatanisme* dicunt; a pessima ista fraude toto cœlo distat methodus tractandi medicinam, quam cum optimis quibusque, proponimus. Dum præcipuus nobis scopus sit factorum veritatem & verborum sobrietatem sectandi, & juxta ingeniosi Gui Patini verba, *de décharlataner la médecine*.

In nostra methodo Medici de œconomia physica scribent, ut D. de la Bruyere de œconomia morali. Cum ipso

hominem minus coloribus & verbis quam factis pingent. Cum ipso physicorum affectuum caracteres sive mores libros suos inscribere poterunt, cum ipso dicere : *Je rends au public ce qu'il m'a prêté, j'ai emprunté de lui la matiere de cet ouvrage* (*o*). Non hypotheses condo, non opiniones vendito, quod video scribo. Nullus annus est qui novi voluminis scribendi materiam non offerat. In nostro genere, qui facta naturalia observat & refert, autor est; qui hæc caste exprimit, bene scribit. Hypotheses ut gothicam architecturam habe. Barbara hæc ornamenta barbaris linque. Ionicus, Doricus, Corinthius fias, aut potius Cous. Tunc de te dicent, quod de ipso Coo Baglivius : naturæ non hominis lingua loquitur (*p*).

At historica ista Medicina nimis simplicior erit? Aiunt multi. Non adeo forsan simplex labor est constans observatio, istius adæquata expressio, coordinatio & ad suos usus adaptatio. Optandum tamen quod simplicissimus

---

(*o*) Les Caract. de la Bruyere, in proemio. Quæ sequuntur passim colliges ex eodem & cap. 1°.

(*p*) Prax. lib. 1. cap. 1. n°. 3.

evadat. Num propterea ars erit minus docta? e contra longe major scientia requiritur a medico observatore quam a systematico. Is simulac morbi cujusdam systema sibi fixit, casus omnes similes putat, unoque curandos remedio. Atque ea facie pravis istis empiricis, juxta neotericorum nominis acceptionem, inscie similis evadit. Observator autem sciens, quod vix ulla præcepta perpetua in arte sint (q), quod centena & millena sint quæ casus quoscumque velut peculiares reddunt, peculiaria ista sibi in artis exercitio continuo præsentia sistit, & necessario numerosissima facta simul animo amplectitur. Ex quibus nunc illam, nunc aliam viam ingreditur. Systematicus uni opinioni adhærens unicam viam calcat, sua scientia in brevi formulario continetur. Hic semper venam secat, hic semper alvum ducit, hic semper agit, hic semper expectat. Percurre vero Sydenhamum, nunc illum, nunc alium invenies; in prima constitutione natura ducitur, in secunda naturam ducit. Unde hoc? an secum pugnat?

(q) Cornel. Celsi Medic. libro I. in præfat.

an a ſe diſcrepat vir ille eximius? nullo modo. Cum vero ſyſtematicus non ſit, neque ulli opinioni præ aliis adhæreat, methodum ad circumſtantias, non circumſtantias ad methodum inflectit. In prima conſtitutione naturæ conamina feliciſſima erant, unde ipſi tantum favere ſtudebat. In ſecunda tumores peſtilentiales naturalem ſed funeſtam ſolutionem præbebant, & experientiâ deprehenderat feliciores eſſe in artis poteſtate (*r*); atque diverſas illas methodos a poſteriori tantum amplexus erat. Et quomodo a prejudicata quadam opinione eas mutuaſſet, ille qui cenſet morborum diverſitatem non magis a propriis ſymptomatibus *quam a peculiari & diverſa medendi ratione, quam ſibi vindicant illuceſcere*, illam autem rationem adeo variare ut, *quâ currente anno ægros liberaveris eâdem ipſâ anno vertente de medio tollas.* Qui fatetur, quod aliquando *anceps hæſerit quâ viâ inſiſteret, neque efficere potuiſſe ut qui ſe primi curæ ſuæ commiſerint vitâ periclitarentur*; quod tunc ſoleret *cunctari*,

(*r*) De morb. epid. conſtitutiones annor. a 1661 ad 1666.

ad magna præsertim remedia non nisi suspenso pede procedere, diligenter interim morborum ingenium atque morem observare, atque a juvantibus & lædentibus consilium petere; denique quod alias in genuinam methodum velut casu, & *auspicato sorte inciderit* (*s*).

Quid tandem? casu ducetur medicus, nullis principiis regetur, nullo filo, nulla theoria dirigetur? ne quid nimis. Si cum Celso (*t*), obscura omnia ab arte rejicimus, cum illo admittimus rationem evidentibus & propriis phœnomenis Medicinam, aut si mavis ejus theoriam, instruentem & efformantem. Theoria autem illa rationalis accurate & religiose distinguenda est a temerariis illis theoriis, quæ hypothesibus ex præconcepta opinione vel ex phœnomenis arti heterogeneis constant, aut quæ angustis cujusdam systematis finibus naturam circumscribunt. Theoriæ istæ (*u*), improprie sic nominantur, nihil sunt nisi

---

(*s*) Totius oper. cap. 2. de morb. epid. passim.

(*t*) Corn. Celsi medic. lib. 1. in fine præfationis.

(*u*) Sub pravo illo, & tamen vulgari sensu multoties theoriam superius damnavi-

ſyſtemata & hypotheſes eamdemque cenſuram merentur.

Vera artium theoria, ſive philoſophia nihil opinioni tribuens, tota eſt in factis & phœnomenis ſub principiorum formâ & nomine traductis. Omne principium quod phœnomeni non eſt expreſſio, cujus phœnomenon non eſt exemplar, quodque analyſi & camino ſubjectum in phœnomenon non liquatur & reſolvitur, theoriæ veræ non pertinet, ſed opinioni, hypotheſi, ſyſtemati. Inde unicum veri theorici negotium erit in inveniendis & colligendis primis illis phœnomenis, ſive quod idem eſt, principiis ad artifices in praxi dirigendos idoneis. Ea autem principia inveniuntur per gradatam aſcenſionem ex obſervatione in obſervationem, per factorum aut phœnomenorum ſucceſſionem & continuitatem. Ubi factorum continuitas ceſſat, ubi catena rumpitur, ibi ſiſtimur, & phœnomena illa quæ catenæ primas tenent, quæ in capite aliorum ſunt, principia nobis erunt. Donec felicior obſervator annulos quoſdam catenæ adjiciat. Tunc phœnomena quæ prin-

---

mus, non autem ſub vera ſignificatione hîc exponenda.

cipia erant, recenter inventis submittentur, veritates inferioris & subjecti ordinis fient, & nova inventa phœnomena principia dices. Eo modo efformata principia certa simul & inexplicabilia erunt. Certa, cum sint facta sensibus exposita; inexplicabilia, cum sint in extrema sensuum prospectione posita, ultra quam in physicis nil cernitur, nihil scitur. Ut autem artis cujusdam theoria perfecta foret, requireretur non solum principiorum veritas & practica utilitas, sed etiam illorum collectionem universalem, absolutam, integram, qua ad omnes casus practicis obvios extenderentur & sufficerent. Requireretur etiam talis ipsorum continuitas & concatenatio, qua in unicum corpus coirent, sub uno aut paucis phœnomenis principibus.

Ars omnis, quæ solis operariis & fabris non omnino committitur, partem illam philosophicam aut theoreticam plus minusve promotam, plus minusve perfectam habet. Antecedentis seculi Chymicis nulla aut fere nulla erat theoria. Vel mere mechanice & quasi automatice operabantur, vel deliramenta pro principiis sumebant. Ipsis nunc affulget vera philosophia, optimique generis theoriam condunt, cujus ima-

ginem in primo volumine elementorum D. Macquer videre est (*x*). Hujus operis principia sunt phœnomena numerosissimis observationibus & experimentis confirmata, breviter enarrata, ad praxim ducentia, & nexus quosdam inter se efformantia. Quoad illorum

---

(*x*) Non sic verisimiliter censet quemdam physices professorem, quem Parisiis audivi. Hic in publica lectione dicebat : Chymici nihil desiderant & ultimæ quæstioni satis fecisse putant, ubi tandem dixerunt, quòd duo corpora in unum coeant mediantibus affinitatibus. *Hæ* sunt illis Herculeæ columnæ. Eosque redarguebat, quòd non ultra egrederentur. Hæc verba suspectam viri illius philosophiam produnt. Optasset igitur, ut Chymici tempus nugis insumerent, verba darent ubi factis destituuntur, & ex tutis observationum viis, in opinionum dumetis evagarentur. Doctrina affinitatum est theoria juxta optimam nominis significationem hîc expositam. Affinitas est phœnomenon certe observatum, phœnomenon chymicum, phœnomenon ultimum, hoc est hominibus inexplicabile & principium. Ut tamen verum dicamus, qui dicit, quod alcali & acidum coeant propter affinitatem, nihil magis profert quam qui diceret : Coeunt quia coeunt, quia coire amant. Sed veri physici sciunt, & jam satis ostendimus, quòd theoriæ admittendæ nihil sint nisi variæ phœnomenorum traductiones & expressiones. In proposita quæstione mira veteres docuissent de

principiorum universalitatem attinet; hæc qualitas est temporis filia, lente progreditur, ac magis exoptanda est quam expectanda in Chymia, Medicina, iisque artibus quarum objecta immensa & infinita sunt. Artes quibus objectum circumscriptum est ac minus late patet, facilius ad ipsam pervenient.

Proponamus nobis litterarum cultores, artis scribendi theoriam fundantes, Homerum, Virgilium, aliosque hujus notæ auctores manibus terunt, quidquid in legendo ipsos jucunde commovet calamo signant. Post alias & alias similes lucubrationes, iter relegunt, hinc inde notata colligunt, inter se conferunt, neque sine quadam admiratione vident, adeo multiplicatas prima fronte sensationes ad paucas & principes quasdam sensationes reduci, quarum cæteræ repetitiones & velut accessiones sunt, aut quibus submittuntur ac famulantur. Codex in quo illa sensationum capita colligerentur, & qui illarum tabellam sisteret, litteraturæ theoriam præberet. Et eâ ipsâ viâ in litterarum renovatione artes progressæ

---

vaginis, spiculis, similibusque somniis. Nos, heu! hæc dediscimus, & retro scientiæ limites abducimus.

sunt.

sunt. Præcessit eruditio, tunc satis erat selecta autorum loca colligere & memoriæ mandare, deinde comparationi & analysi subjiciebantur, tendem ætas castè, candidè, lepidè, nervosè scribendi successit.

Eâdem via insistere deberit Medici qui artis perfectionem, a quâ longè distant, sectantur. Varia medicorum scripta simul considerata sunt, veluti quoddam cahos, ubi œconomiæ animalis phœnomena opinionibus, hypothesibus, systematibus, deliramentis, somniis, nugis, promiscuè obruuntur. Ex illo confusarum rerum pelago eruanda sunt phœnomena illa. Quod opus unius hominis vires superat. Et numquam nisi ex consociatis multorum laboribus expectandum. Societas autem illa (cujus felix aurora illuscescit) societas illa margaritas e sterquilinio eruens, non explicationem explicationi substitueret, sibi vero melius & unicè proponeret, primo phœnomena collatis autorum observationibus necnon propriis confirmare & augere, deinde ita inter se juxta naturalem ipsorum connexionis & subjectionis ordinem disponere, ut ex uno ad aliud, sine continuitatis solutione, gradatim ascenderetur ad prima illa phœnomena, conspicua simul

& inexplicabilia, homini principia donec novo aut meliori sensu donetur. Tandem ex ipsis phœnomenis principiis utiliora ex minus utilibus distingueret illaque praxi appliquaret.

At vero in coordinandis & concatenandis factis, ut ad superiora ascendamus, maximè cavendum ne ipsis vim inferamus, dum ipsis parendum est. Mens humana convenientias, & consensus amans sibimetipsi indulget, & classes generaque condit, ubi natura individua & soluta phœnomena producit. Febris ardens, putrida, maligna constantioribus & invariabilibus coloribus ubique depingitur, etsi in singulis regionibus apud le Roy (y), in singulis constitutionibus apud Sydenham & Jam. Sims (z), summa & individualis symptomatum diversitas observetur. Isti propensioni resistendum. Quod solutum est, solutum offeratur, ubi catena cessat, ubi annuli non concatenantur, incatenati producantur. In describendo latissimo imperio, ubi regiones incognitæ jacent, ibi vacua loca posteris linquan-

(y) Mémoires sur les fievres aiguës.

(z) Sydenh. observ. circa morb. acut. Observat. sur les malad. Epidemiques, traduites de l'Anglois, par M. Jaubert.

tur. Talis erit necessario theoria medica nostri temporis. Catenam exhibebit hinc inde solutam, annulos multos incohærentes, tabellam geographicam numerosissimis locis intersectam. Miserum quidem! sed lubenter decipi, sed fallaces nugas instar utilis doctrinæ habere, sed sub scientiæ nomine errores consecrare, quam longè miserrimum! multo melius est pauca scire, quam scire dediscenda, vel omnino nescire. Pauca autem illa dummodo firmis innitantur principiis, constantioribus phœnomenis dico, erunt fundamenta, quibus subsecuturæ ætates inædificabunt. Hæc videtur fuisse Hippocratis mens in condendis suis aphorismis. Fatendum tamen quod non satis severè probata & ordinata fuere, hujus collectionis principia, cum plurima contra veritatem & coordinationem peccent; ita ut an ruinam, an apparatum summi ædificii in hoc opere possideamus, dubitandi sit locus.


Dissertationem collige. Pauca quæ Medici sciunt, phœnomena sunt quæ deinceps scient, phœnomena erunt, & theoria artis, genere ac naturâ experimentalis aut, si mavis, empirici, nihil erit nisi summa rerum observatarum fastigia & capita simpliciter & aphoristicè enarrata, nunc cohærentia, nunc sejuncta,

prout observatio plus minusve processerit.

Verum eo usque procedat observatio, ut fastigiata illa principia in unum corpus regulare coagmententur. Utilissimis, inconcussis, universalibus, ad casus omnes sufficientibus principiis gaudeat ars nostra. Aurea tabella in quâ fideli stilo hæc omnia exarabuntur, cibum optimi nutrimenti & exquisiti succi adultis Medicis offeret, iis dico, qui usu & studio efformati scientiæ virilitatem attigerunt. Delicatuli vero discipulorum ventriculi lacte nutriendi semper erunt. Validiori & spirituosiori illâ principiorum abstractorum doctrinâ enecarentur. Jam initiatis patentia & aperta hæc principia forent, initiandis sacra & clausa mysteria. Iis semper via observationum & historiarum calcanda erit, ut artis sanctuarium ingrediantur. Historia igitur philosophica & rationalis factorum medicalium, & quamdiu vera theoria languescet, & si quando firmior evadat, semper studii Medici caput erit, primusque magister; ut historia civilis est optimus ac primus magister morum: & utriusque generis historiographis maximè congruet, quod Horatius de Trojani belli scriptore ait:

Qui, ... quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

DE



DE MORBIS ACUTIS.

MENSIS JULIUS. 1758.

PLERISQUE, acuta laborantibus, circa ſeptimum, quibuſdam circa quartum, paucis circa, undecimum diem proruperunt vel milliaria, vel petechiæ, vel ambo genera ſimul; idque fere ſemper cum ægri levamine contigit. Etenim ſomnolentia, & capitis gravitas multum imminuebantur, reſpiratio, quæ prius erat celeris & gravis, reddebatur longe liberior, pulſus fortior & magis æqualis.

Si ſeptimo die fuit perfecta exanthematum eruptio, tunc eodem die Symp-

tomata omnia, ex hoc morbo dependentia, in melius mutata ſunt; circa undecimum diem jam ceperunt exanthemata exſiccari, vel numero minui; circa decimum quartum evanuere penitus, & æger à periculo liber fuit.

Si vero ſeptimo die exanthematum eruptio non fuit perfecta, tunc ſymptomata fere in eodem ſtatu permanſerunt, donec undecimo vel ſubinde nono die, facta eruptione, mitiora, reddita ſunt.

His decimo quarto die exanthemata ceperunt minui, & decimo ſeptimo facta eſt integra judicatio.

Raro ultra decimum ſeptimum diem ſe ſe morbus extendit.

Quibus vero vel quarto vel ſeptimo die pauca prodierunt exanthemata citra omnem ſymptomatum allevationem, quibuſque in ſequente die critico non plura ſupervenerunt, aut ſupervenientia brevi iterum diſparuerunt; ii ſudarunt continuo ſudorem fœtidum, mox frigus, mox calorem conqueſti ſunt, ſitim vel intolerabilem, vel plane nullam habuerunt, caput fuit grave, oculi triſtes, lingua glutinoſa, humida, plombei coloris, vires de die in diem minores, reſpiratio celeris, inæqualis cum tuſſicula

ſicca, pulſus parvus, velox, inæqualis; facies mox roſea, mox palida, urina vel naturali paululum coloratior cum nubecula ſuſpenſa, vel naturalis, vel tenuis; nullum medicamentum ſive externum, ſive internum notabilem in melius mutationem effecit; unde circa undecimum, aut decimum quartum diem judicatio ad mortem facta eſt.

Ternos ſolummodo tales ægros hoc menſe habui.

Febre continua ſimplici decumbentes fere nulla mala ſigna habuerunt, levem ſitim, exiguum calorem, appetitum deletum, & leves capitis dolores conquerebantur.

Quidam quarto, plurimi vero ſeptimo die, orto ſudore, & prodeunte urina craſſa cum ſedimento albo, craſſo, a febre liberati ſunt.

Raro morbus undecimum aut decimum quartum diem adtigit. Nullus ſimplici febre continua hoc menſe mortuus eſt.

Cura in omnibus acutis ſequenti modo inſtituebatur: pulſum ægri dum naturali longe celeriorem, fortiorem, durum, vel & ſupreſſum deprehendi, venam curavi, tundi, idque pro ratione circumſtatiarum repetitis vicibus. Verum raro contigit occaſio ſæpius iterandæ venæ

ſectionis ; imo multis plane non ſecui ; nam frequenti obſervatione didici, quod venæ ſectio etiam unica facta in homine, cujus pulſus nec ſuppreſſus, nec naturali multo plenior, fortiorve fuit, vires dejecerit, quod ſupervenientibus exanthematibus medicamenta ſtimulantia, quibus alias opus non fuiſſet, debuerint adhiberi, quodque æger, ſuperato morbo, ad vires recuperandas multo longiore tempore indiguerit.

Hæc obſervatio tamen minus valet, dum æger localem quamdam inflammationem habet, vel dum caput aut pulmo ſanguine obruitur.

Facta vel omiſſa venæ ſectione dum ſaburram ex ægri querelis in ventriculo judicavi, eam vomitorio ilico ejeci, nunquam tamen præter neceſſitatem ſola regionis conſuetudine adductus vomitorio ægrum divexavi.

Dum vidi vires ægri ſufficientes, pulſum ſatis elevatum & fortem, tunc pro medicamento & potu ordinario copioſiſſimum decoctum rad. Scorzon. acetos. hordei crudi cum ſtib. diaph. non abl. aut nitro puro & oxymelle ſimplici tepide ſumendum exhibui, ſimili modo pergendo die ſeptimo, præcedente pectoris anxietate, frequenter apparuerunt

exanthemata, æger melius habuit, remisitque febris.

Quoniam sola natura tunc opus suum adeo bene peregit, eam aliis medicamentis turbare non licuit; sed eadem vel simillima methodo ad finem usque continuandum fuit.

Hac ratione morbus exanthematicus simplex simplicissimis remediis a perito citra ullum negotium solo naturæ ductu feliciter curatur, ab imperito autem, qui malignum a non maligno haud novit distinguere, facile turbatur.

Ubi vero pulsus fuit debilis, & vires languidæ, tunc datum est, vel emulsum N. 8. vel Claret. N. 1. idque magna vel parva copia, prout vel ægri natura, vel symptomatum circumstantiæ postularunt. Camphora erat feminis magis amica, & utilis; viris autem vinum.

Sopores, deliria, convulsiones sæpe bina, sæpe quatuor, aut quinque vesicantia exigebant, quæ allevando caput, pulsum liberiorem reddendo, & sæpissime exanthemata expellendo egregios effectus præstitere.

Convulsis Camphora, prudenti dosi exhibita, maxime conduxit, non quidem semper promovendo exanthematum eruptionem (etenim non omnes, qui

ea usi sunt, exanthemata habuerunt) sed & virtute sua, qua vires erigit, atque irritatis nervis quietem conciliat.

Quibus noctes erant inquietæ & insomnes, ii vesperi unc. 1. syrup. diacod. assumpserunt; majori vero dosi opus habebant ii, qui camphora utebantur. An camphora opii viribus resistit?

Multis acuta decumbentibus adfuit tussis molesta, frequens, unde in similibus ægris pectori erat ilico in principio prospiciendum; decocta emollientia, expectorantia cum Stib. Diaph. non abluto, & oxymell. simpl. aut subinde scillitico, hoc in statu plurimum præstiterunt, atque sputa copiosa & facilia effecerunt, quæ omni possibili modo promovenda erant; hoc enim neglecto tussis inanis ægri vires debilitavit, cursum morbi turbavit, & eruptionem exanthematum impedivit; si vero sputa manserunt mobilia, tunc cætera omnia symptomata, licet subinde pessima, minus periculosa facta sunt.

Lingua sicca aceto & melle sæpe abluebatur.

Quibus vero methodus, hucusque descripta vel huic similis, non profuit, ii plerumque pro desperatis habiti sunt:

quoniam ſymptomata mere lethalia eos comitabantur.

Nihilominus dum magnæ in his ægris mutationes obſervatæ ſunt, dum pulſus per aliquot tempus valde intenſus, & fortis tandem remiſit, & molis atque debilis factus eſt; dum horrores & rigores citra inflammationis ſuppurationisve ſignum cum inſequente calore ægri extrema, & ſpinam dorſi frequenter perrepſerunt, dum ſitis, diverſo tempore multum aucta, denuo imminuta eſt, &c. Dumque hæc ſymptomata alternatim certis fere horis redierunt, & iterum evanuere, tunc miſtura N. 16. omni hora ad unc. ß. aut unc. 1. aſſumpta ſæpiſſime ſummo in periculo verſantes ægros ex mortis faucibus eripuit. Etenim hæ mutationes brevi ceſſarunt, & ægrorum vires increverunt, &c.

Similes ægri famam medici multum ſæpe ædere poſſunt; etenim per vices redeunt ad ſe, pulſus & reliqua ſigna (ſi fors reſpirationem & oculos exceperis) pro circumſtantiis ſat bona videntur, eaque ſæpe durant per horam, & ultra, ſæpe vero derepente in pejus mutantur; & æger qui ante pauca minuta ſibi, & adſtantibus ſpem dedit, ſubito fere moribundus anhelat: unde

ſi Medicus, in intervallo lucido præſens, ægro & adſtantibus quid certi promittit, ſe fallit, & famæ detrimentum patitur.

Qui vero ægri citra ſimiles manifeſtas mutationes in ſumma debilitate jacuerunt, & in quibus pulſus molliſſimus, atque ſudor continuus ſummam humorum diſſolutionem, & in putridum propenſionem deſignarunt, iis miſtura N. 27. ſæpe numero ſalutem adtulit.

Ex acuta convaleſcentes fere omnes ſurdaſtri fuerunt, verum ſola natura, & dieta reficiente plerique curati ſunt.

Quibus autem hæc auditus gravitas, reſtitutis ſufficienter viribus, permanſit, iis veſicans nuchæ eſt adpoſitum, atque, dum hoc cepit dolorem excitare, datum eſt ægro purgans, ut eodem tempore per hæc bina remedia revulſio à capite fieret; quo facto omnibus, quos novi auditus rediit.

Poſt morbum acutum rite curatum, paucos habui, qui recidivam paſſi ſunt, & erant tantum ii, qui in diæta errorem commiſerunt. Etenim omnes circa præcordia anxietatem, horrorem à cibis, leves vertigines, ructus amaros, aut putridos conqueſti ſunt.

Datum lene vomitorium fere ſemper

recidivam ex integro sustulit, aut saltem admodum mitem reddidit.

Urina ab initio morbi semper russa fuit cum nubecula innatante; morbo autem stante erat crassa, & densam ad fundum nubem exhibuit, morbo decrescente color sensim in naturalem, dein in tenuem cum fœtore mutabatur; raro sedimentum crassum, & grave observatum est.

Alvus immorigera enemate, aut suppositorio (si opus fuit) movebatur; sæpius vero exanthematibus aut bene prodeuntibus, aut rite prostantibus, dum neque hypochondriorum tensiones, neque ventris dolores gravantes, aut borborygmi advertebantur, per binos ternosve dies relicta fuit.

Sudores nocturni post morbum acutum supervenientes diæta reficiente, & infuso N. 20. fugati sunt.

Qui, cessante jam per aliquot dies febre, non appetierunt, & os glutinosum, atque circa præcordia pondus conquesti sunt, iis data drach. 1. rhei appetitum restituit, & omne malum amovit.

Pedum tumores post morbum vel sponte sua abierunt, vel leni frictione facile dispulsi sunt.

Inter primos nosocomii ægros mihi occurrit Juvenis 15 ann. qui toto corpore rigidus & inflexibilis fuit.

Adstantes narrabant: quod ante aliquot dies per omnes artus dolorem lancinantem sit conquestus, quodque post paucas horas citra causam vel sibi vel aliis cognitam totus rigidus evaserit, & quod tunc dolores cessarint.

Corpus ægri examinando inveni brachia & manus secundum trunci longitudinem extensas, rigidissimas, & trunco firmissime adpressas, crura & pedes eodem modo se habebant; venter fuit tenuis, contractus, & lapidis instar durus, adtactu non dolens, spina dorsi rigidissima, collum immobile, maxilla inferior superiori pertinaciter adplicata, musculi masseteres, & temporales, quasi vi fortissima agentes erant tumidi, & duri; inter dentes incisorios effractos exiguum spatium relinquebatur, per quod pauca jusculi, aut medicamenti copia ingeri potuit.

Lingua tamen mansit volubilis, oculi vivi, mens non oppressa, respiratio satis bona.

Pulsus fuit æqualis, naturali non celerior, liber.

Conjicere igitur licuit vasa majora

ſanguinea eſſe libera, & forſan in Lymphaticis eſſe humorum ſtagnationem, in nervis ſpaſmum.

Quapropter ſpaſmus ſolvendus, & ſtagnans in motum ducendum indicabatur.

Balneum emolliens, diſcutiens, & ejuſmodi fomenta toti corpori continuo adplicata optime & citiſſime profuiſſent: verum nauſocomii circunſtantiæ ſimile tentamen non admiſerunt.

De maxilla mobili reddenda cogitabatur primo, atque hunc in finem cataplaſma ex ſtercore equino in cereviſia cocto calidum diligenter adplicatum eſt.

Per aperturam inter dentes inciſorios præter tenuia alimenta miſtura N. 12. cochleatim ingerebatur.

Bis de die ſpina dorſi inuncta, & perfricta eſt linimento ex ol. verbaſci unc. ij. ß. ſpirit. ſal. ammon. dr. 1. & alterno die humeris & toti ſpinæ dorſi cucurbitæ ſiccæ adpoſitæ ſunt.

Quarto die æger jam movit ſat libere maxillam, ſolidiora momordit, deglutivit; reliqua vero in priori ſtatu perſtitere.

Quinto die ingratum Cataplaſmatis odorem amplius ferre non potuit, atque ab ejus vaporibus tuſſim ſiccam defati-

gantem conquestus est ; unde id, maxilla jam satis mobili, amovi ; atque totum collum, musculos masseteres, temporales, & maxillæ articulationem priori linimento bis de die perfricari jussi.

Omni die facta est maxilla liberior, æger singulo bihorio unc. ß. ex mist. N. 12. assumpsit, & præter juscula, ac alia tenuia alimenta serum lactis copiose hausit.

Intestina quotidie enemate ex solo oleo lini emolliebantur, unde dura fœcum scybala educta sunt.

Octavo die æger jam movit manus, & brachia, intra paucos dies movit & pedes.

Intermisi tunc cucurbitas, etenim dolores magnos excitarunt, sed reliqua medicamenta continuari curavi.

Vigesimo quinto die auxilio famuli jam cepit ambulare.

Trigesimo die jam solus ambulavit.

Posthac solo sero lactis & diæta bene nutriente intra paucos dies pinguedinem, & vires integras recuperavit.



MENSIS AUGUSTUS.

1758.

SYMPTOMATA in morbis acutis occurrentia hoc menſe erant prorſus eadem, quæ menſe præcedente, numerus eorum, qui exanthematibus laborarunt, paulo minor fuit.

Pauciſſimi febre miliari decubuerunt, plures vero petechiis; erant autem petechiæ ſatis mites, & plerumque optimi coloris.

Emulſ. N. 8. raro in uſum venit, etenim in febre petechiali longe magis conduxit claret. N. 1.

Cœteroquin methodus curandi erat eadem, quæ menſe Julio.

Per medium menſem Jun. per integrum Jul. & Auguſt. dum doctiſſimus Medicus Caſtrenſis JOANN. KOLLMAN ægrotabat, mihi ILLUST. VAN SWIETEN noſocomii militaris, in leopoldina ſiti, curam confidit.

Noſocomium erat ſemper ægris pleniſſimum.

Inter alios morbos, militibus communes, plurimas petechias inveni, quæ

à medio Jul. usque ad finem August. maxime grassabantur, ita quidem, ut hoc tempore quingentos circiter sola febre petechiali decumbentes numeraverim.

Ex his ægris ultra duodecim non sunt mortui, fere nullus incidit in alium morbum; omnes convalescentes intra paucos dies vires integras recuperarunt.

Morbus ultra decimum septimum diem vix unquam duravit.

Multis symptomata satis mitia erant; complures vero periculosa symptomata comitabantur; ut sunt: pulsus inæqualis, sitis ingens, respirandi summa anxietas, sopor, delirium perpetuum, convulsiones, membrorum jactationes, &c.

Circa quartum morbi diem plerumque in pectore, collo, & cordis scrobiculo paucæ petechiæ apparuerunt, & septimo die, prægressa majori vel minori anxietate, per totum corpus, maxime autem in pectore eruperunt; & tunc signa mala vix non semper evanuere, vel saltem longe minus periculosa visa sunt.

Color petechiarum fuit in plurimis læte ruber; in paucis purpureus; lividus & subniger admodum raro.

Septimo die apparentes petechiæ immutatæ perstiterunt usque ad undecimum, quo fiebant tenuiores, pallidæ, & usque ad decimum quartum sensim disparuere.

Hoc die vel febris cessavit, vel adeo mitis facta est, ut febris nomen vix mereretur; circa decimum septimum diem ad naturalem rythmum vel naturali paulo tardiorem rediit pulsus.

Subinde quarto die paucæ videbantur petechiæ, & neque septimo, neque undecimo numerosiores conspectæ sunt; aut quandoque undecimo die plures hinc inde prodierunt, sed brevi iterum disparuere.

His permanebant, imo augebantur subinde mala symptomata usque in decimum quartum diem, quo persæpe ortus est copiosus sudor; atque tunc citra exanthematum eruptionem febris imminuta fuit, & symptomata remiserunt. Raro hæc mutatio undecimo die accidit.

Si autem similibus ægris decimo quarto die sudor non fuit copiosus; sed sudoris loco, prægressa levi horripilatione, orta est pectoris oppressio, & anxietas, tunc petechiis supervenerunt copiosissima miliaria alba, & ægri

magnum levamen perceperunt; quibus vero prægressa anxietate non eruperunt miliaria, iis crassissima urina profluxit, aut hac non profluente lenis, & levans diarrhæa accessit.

Talibus in circumstantiis rarissime decimo septimo die febris abiit, sed plerumque duravit ad vigesimum, subinde ad vigesimum quartum diem.

Si respiratio non fuit nimium difficilis, anxia, & inæqualis, atque pulsus satis liber, nil unquam timendum erat.

Similes ægri, licet cæteroquin pessima symptomata habuerint, simplicissima methodo conservati sunt fere omnes.

Sub initium morbi conquesti sunt immanem capitis dolorem, qui tentatis omnibus vix potuit mitigari, donec apparuerunt exanthemata, & tunc sponte evanuit.

Cura circa hos ægros instituta fuit sequens:

Valde Plethoricis, inflammatione affectis, & pulsum durum habentibus pro ratione necessitatis sanguinem e vena misi. Si autem causæ venæ sectionem suadentes non fuerunt satis graves, tunc eam neglexi; quoniam denuo id observavi, quod mense Julio dictum est. Imo iis, qui plethora non admodum magna

laborarunt, conduxit magis per decoctum tamarindorum, cremorem tart. atque alia antiphlogistica remedia alvum aliquoties movere, & ita pulsus vim & velocitatem mitigare, quam venæ sectione sanguinem detrahere.

Multi saburram in ventriculo gesserunt, unde iis vomitorium statim in initio datum magnum levamen adtulit.

Quidam neque vomitorio, neque purgante antiphlogistico, neque venæ sectione opus habuerunt; quoniam eorum pulsus ita moderatus, & ad morbum ferendum adaptatus fuit, ut neque debilitate, ægri vires prostratas, indicaverit, neque robore excesserit adeo, ut quid in corpore destruere, aut morbum turbare potuerit.

Pulsu igitur vel ex natura ægri ita existente, vel arte ad tale moderamen redacto, requirebatur remedium diluens, putredini resistens, naturam in nulla evacuatione turbans, & vires conservans.

Tale erat serum lactis vinosum N. 28. nam solo hoc, tam pro potu ordinario, quam medicamento largissime ingesto, fere omnes curavi.

Milites id grate assumpserunt, neque ullum inde incommodum deprehendi.

Ubi pulsus debilis stimulo indiguit,

auxi vini copiam, vel præter ſerum lactis emulſum Camphoratum exhibui.

Dum maculæ purpureæ, lividæ, & ſubnigræ ſigna putredinis manifeſtarunt, tunc addidi libris quatuor ſeri lactis vinoſi, unc. iij. ſyrup. diacod. & drach. 1. ſpirit. ſulph. per camp. atque ægris omni hora unc. iij. aut iv. tepide hauriendas præbui.

Optato tunc effectu maculæ brevi alium colorem induerunt, debito tempore diſparuere, & ægri ſymptomata ſenſim in melius iverunt.

Abſque ſyrup. diacod. in ſero lactis vinoſo datus ſpiritus ſulph. per camp. ſtrangurias, aut diarrhæas debilitantes excitavit.

Sopor, delirium, convulſiones, vigiliæ, &c. Epiſpaſticis, ſinapiſmis, aut veſicantibus, & paregoricis ad debitum moderamen ducebantur.

In convulſionibus, quæ etiam ſubinde aderant petechiis bene proſtantibus, veſicantia, & paregorica ſine camphora nil effecerunt, ſed ſemper debuit camphora præter alia medicamenta ad aliquod grana ſimul exhiberi; nihilominus etiam camphora ſine paregoricis & veſicantibus debitum ſcopum non adtigit.

Quidam nullis fere malis ſymptoma-

tibus affecti tota nocte quietum somnum capiebant, alii autem vigilarunt; & his uncia una syrup. diacod. vesperi exhibita debitam quietem conciliavit.

Si ob vehementiam symptomatum uncia una syrup. diacod. vesperi nihil effecit, tunc hæc dosis omni sexta vel quinta hora iterata est.

Fuit unicus æger, cui syrupus diacod. ne minimum somnum, vel signum somni adtulit. Petechiæ, quarto die prodeuntes, erant optimi coloris, neque æger anxie respiravit, neque oculos rubros aut torvos habuit, sitis fuit mediocris, &c. Septimo die inter signa optima incepit canere, clamare, diversas historiolas instar hominis sanissimi enarrare; imo easdem sine hæsitatione accuratissime sæpius repetiit; ad rogata subinde apte, inepte subinde respondit, oblata omnia lubens assumpsit; verum noctu, diuque indesinenter cecinit, & clamavit; noctu in lecto manere noluit; pulsus fuit æqualis, non multum febrilis.

Omni quarta hora syrup. diacod. ad unciam integram exhibitus per duos & medium diem nullo modo mutavit ægrum; demum consideratis omnibus judicavi, has vigilias, & clamores a solo inordinato spirituum motu depen-

dere, unde major opii copia unica dosi exhibenda indicabatur

Remedium sequens:

℞. aq. menth. unc. j.
Syrup. diacod. unc. ß.
Laud. liq. sydenh. gutt. XL.
M.

unica dosi deglutitum, tandem clamores inhibuit.

Etenim post aliquot minuta ab assumpto hoc remedio voce languit æger, oculi erant minus vivi & semiclausi, atque paulo post reficiens somnus secutus est.

Post sex horas evigilans nil conquerebatur, & sibi omnino præsens præterita ignoravit. Post-hac sine ullo paregorico tranquillas noctes habuit.

Decimo quarto die a morbo penitus liber fuit, & vires mox tantas recuperavit, ut intra paucos dies legionem suam adire potuerit.

Hicce æger præter serum lactis vinosum, quod potum, & medicamentum simul præbuit, nihil assumpsit.

Simplex igitur methodus febri petechiali curandæ suffecit; etenim raro quis mortuus est, & plurimi facile, & cito periculoso ex morbo convaluerunt.

Mala, morbis ſupervenientia, pauca obſervata ſunt.

Bini ægri a ſeptimo ad decimum quartum morbi diem in continuo ſopore, delirio, & ſudore fœtido decubuerunt, pulſum habentes debilem, & reſpirationem difficilem; petechiæ copioſæ, & optimi coloris toto in corpore videndæ erant; tandem parotides intumuerunt, quæ nullum levamen adferentes ægrorum vires magis dejecerunt; adplicata quæcunque juverunt nihil; demum hi tumores mole & duritie derepente aucti deglutitionem impediverunt, & ambos ægros intra tres dies ſuffocarunt.

Alius æger, in quo omnia ſigna, ſeptimo die prodituras petechias, præſagiebant, ſeptimo die malam criſin expertus eſt.

Nox hunc diem præcedens anxia fuit; mane caput vehementer doluit, dein ſubito intumuit naſus, & totus purpureus factus eſt; poſt paucas horas naſi color ſubniger apparuit, & manifeſta gangrænæ ſigna imminuerunt.

Quoniam hic æger a principio morbi uſque ad ſeptimum diem nullum peculiare, aut periculoſum ſymptoma habuit, ſolum ſerum lactis vinoſum pro

potu & medicamento exhibitum eſt; inſtante autem Gangræna quotidie unc. j. ß. cort. peruv. præter ſerum lactis aſſumpſit, & naſo externe adplicata ſunt linteamina Spiritu Salis acido, aqua roſarum diluto, madida.

Unde malo limites ponebantur, naſo ultra ſemi pollicis longitudinem, ab apice incipiendo, naturalis color rediit, reliqua vero naſi pars ex ſubnigra læte rubra facta eſt.

Pulſus ægri fuit liber, vix febrilis, nullum cæteroquin aderat lethale ſymptoma.

His remediis ægrum ad undecimum diem in eodem ſtatu inter ſpem & metum conſervavi; tunc autem delirare cepit, ſubito vires amiſit, pulſum habuit inæqualem, exilem, intermittentem, faciem hippocraticam, & eodem die convulſus obiit.

An gangræna occupavit cerebrum? an materies petechialis, quæ per totam corporis peripheriam in maculas debuiſſet diſpergi, in caput eſt depoſita?

Alios ægros, qui mortui ſunt, ſymptomata mala cum virium dejectione, pulſu debili, inæquali, & reſpiratione difficili vel ilico ab initio morbi, vel a quarto morbi die incipiendo comitaban-

tur, semperque ruerunt in pejus; per vices quidem hi ægri dormiverunt, sed somnus fuit inquietus, non reficiens, in somniis defatigans.

Dum vidi, quod serum lactis vinosum inter talia symptomata non sufficeret, alia ab autoribus commendata remedia exhibui.

Verum a nullo levamen, minus curiationem obtinui.

Stimulantia, & alexipharmaca omnis generis (si similia vires debiles postulabant) nimium sudorem, & anxietatem excitando ægros magis debilitaverunt.

Acida mineralia saturatissima nec sitim mitigarunt.

Ipse cortex peruvianus, præter alia largiter exhibitus, profecit nihil.

Verum tales casus ad omnia rebelles rari erant.

Binis ægris ex febre petechiali convalescentibus, dum omnes actiones & vires bonæ videbantur, subito orti sunt abscessus: uni ad humerum dextrum, alteri ad ambo femora.

Fluctuatione percepta ilico pertundebantur; unde magna puris boni copia effluxit; aliquandiu hæc loca aperta,

& fluentia conservata sunt, & ægris pro medicamento ac potu datum est serum lactis, quod vires conservavit, & omne impurum, quod adhuc in sanguine hæsit, quacunque data via ejecit.

Fere omnes ex acuta convalescentes longe saniores, robustioresque sunt redditi post morbum, quam erant antea.

Paucis post acutam pedes tumuerunt, sed lenes frictiones aromaticæ tempore matutino adhibitæ, & unum alterumve purgans hos tumores brevi abstulerunt.

Qui convalescentes nullum in diæta errorem commiserunt, nunquam passi sunt recidivam.

Recidiva autem, ex mala diæta, vomitorio, aut purgante, aut diæta per triduum strictissima facili negotio curabatur.

Qui curati diutius in nosocomio morabantur, vires denuo amiserunt, pulsus iis lentus factus est, & facies pallida; tandem gingivæ, oris labia, totaque facies, imo subinde & manus, & pedes lento tumore inflabantur; post paucos dies maculæ latæ, lividæ, vere scorbuticæ

ſcorbuticæ hinc inde in corpore apparuerunt, & gingivæ, ſanguinem fundentes, fœtidum odorem ſparsêre.

Sub initium ſolum ſerum lactis vinoſum, & Medicamentum N°. 5. aliquoties pro rerum circumſtantiis abſumptum, atque motus Corporis in aëre libero curam omnem abſolverunt.

Dum vero maculæ lividæ, & oris fœtor putredinem ſanguini inductam manifeſtarunt, tunc ſeri lactis libris tribus admiſta eſt dr. ß. ſpirit. ſulph. per camp. atque hac ratione largiter potandum præbebatur præter ſequens remedium.

℞. ſal polychr. dr. j.
Conſerv. naſt. aq.
——— Cochl. aa. unc. ij.
Spirit. ſulph. per camp. dr. j.
M.

S. ſumat æger omni hora parvum cochlear.

Gingivæ melle roſarum, mixto cum ſpiritu ſalis acido, ſæpius illiniebantur: os ſero lactis vinoſo ſpiritu ſulphur: acidulo reddito frequenter elutum eſt.

Hac methodo aliquandiu continuando, & corpus in liberiore aëre movendo, atque dato omni quarto, quintove die purgante plurimi ſanati ſunt.

Qui autem vitæ militaris pertæsi, & pusillanimes lecto continuo inhæserunt, ii tentatis omnibus semper in pejus ruebant, sensim toto corpore intumuerunt, hinc inde ortæ sunt plagæ latissimæ, purpureæ, aut lividæ, tandem nigræ & fœtido ichore manantes; ex ore & naribus sanguis corruptus, semi-putridus effluxit, nil fere amplius potuere deglutire, hinc semi-putridi in fœtidissima sua atmosphæra immobiles jacebant, nec ab aliis citra vitæ periculum potuerant moveri; ubicunque vel leviter adtacti sunt, ibi epidermis rupta fudit liquamen fœtidum.

Hoc in statu miserrimi hi ægri sæpe per tres, per quinque aut plures dies semi-cadaverosi anhelabant, tandem orta putridissima diarrhæa, intra paucas horas exspirarunt animam.

Similia cadavera brevi post mortem terræ mandabantur.

Scabies post morbum acutum superveniens plerumque solo remedio N°. 5. & sero lactis curata est. Si tamen huic remedio non integre cessit, tunc balneum badense maxime profuit.



MENSIS SEPTEMBER.

1758.

ACUTA decumbentes fere omnes vel miliari febre, vel petechiali laborarunt.

Plerisque 14. aut 17. die febris vale dixit.

Simplicissima curandi methodus erat & hoc mense sufficiens.

Fuerunt tamen binæ fœminæ, quæ erumpentibus septimo die numerosissimis petechiis nullum levamen perceperunt, & ultra viginti dies manserunt debiles, somnolentæ, delirantes; febris fuit mediocris, & petechiæ, optimi coloris, steterunt toto hoc tempore immutatæ.

Vesicantia, licet bene fuerint operata, nil mutarunt.

Emul. N°. 8. & claret. N°. 1. alternatim exhibita morbum non turbarunt, & ægrarum vires sat bono in statu conservarunt.

Camphoræ dosis aucta, vel alia medicamenta magis stimulantia tentata, auxerunt delirium, anxietatem, & sitim, &c.

Unde ratio jussit ea continuare, quæ

naturam ad Morbum ferendum aptam reddiderunt, & conservarunt.

Hæ fœminæ urinam, & fœces inscie dimiserunt; sed respirarunt citra magnam difficultatem, & continua, æquali, leni transpiratione gaudebant; somnus (quamvis paregorico vespertino semper productus fuit) erat quietus, reficiens; & pulsus sat liber, non multum febrilis, nec nimium debilis, nec mollis; unde hæc spem foverunt.

Tandem petechiæ, boni semper coloris, vigesimo ab eruptione die, sensim ceperunt evanescere, cessavit delirium, intra tres dies febris tota disparuit, rediit appetitus, & absque notabili evacuatione critica ambabus his fœminis intra breve tempus prior sanitas restituta est.

Medicamenta igitur præter rationem non sunt mutanda; neque natura absque ægri detrimento sibi vim inferri patitur.

Id hoc mense peculiare observatum est, quod multis, febre exanthematica decumbentibus, febris quotidiana intermittens simul juncta fuerit, quæ morbum, & curationem turbavit.

Similis febris intermittens ilico cortice peruvino suffocanda erat, secus ægrorum vires adeo debilitavit, ut tales ægri, redeunte sæpius paroxysmo, tan-

dem occubuerint, qui morbum acutum solum facili negotio superassent.

Fugata hac febre morbus exanthematicus plerumque valde mitis fuit.

Dum magna cardialgia, pectoris angustia, renum ingentes dolores cum urinæ retentione, aut somnus profundus similes paroxysmos comitabatur, tunc tertius paroxysmus nunquam erat exspectandus, is enim vel ægrum occidit, vel ejus vires adeo prostravit, ut dein cortex nil amplius effecerit. Tales ægri plerumque eo tempore, quo quartus paroxysmus accedere debuisset, in syncopen delapsi sunt, & obierunt, aut inciderunt in delirium, ex quo non amplius redivere.

Præterea hoc mense singultus ante exanthematum eruptionem circa septimum morbi diem frequenter observatus est, verum post eruptionem cessavit sponte.

Unicus æger, toto corpore numerosissimis petechiis obsitus, undecimo morbi die singultire cepit; singultus erat frequens, neque ullo remedio sisti potuit; unde morbi periculum auxit, & ægri vires imminuendo vix non omnem vitæ spem abstulit. Verum decimo quarto morbi die, orta pectoris anxie-

tate, petechiis copiosissima miliaria alba cum magno ægri levamine supervenerunt, & cessavit singultus.

Undecimo aut decimo quarto die disparentibus exanthematibus haud raro levis diarrhæa subsecuta est, qua ægri perfecte judicati sunt.

Quidam citra errorem in diæta commissum hoc mense recidivam passi sunt.

Febris ex recidiva semper ad 20. 24. aut 30. diem protracta fuit.

Fœmina 18. ann., ex febre miliaria convalescens, sæpius per diem toto corpore misere convulsa est; cessante convulsione remanserunt enormes inguinum, lumborum, & ossis sacri dolores.

Ægra hæcce menses suos adhuc nunquam habuit; unde habitis instantium mensium signis, pilulæ sequentes præscribebantur.

℞. gummi galb. dr. j.
Camph.
Castor. aa. dr. ß.
Aloës lot. gr. XX.
Balſ. peruv. q. S.
M. f. pil. gr. IV.

S. sumat ter de die duas pil., superbibat infus. ruth. & vesperi insideat per horam balneo pedum.

Altero die convulsiones jam erant

minus violentæ, quarto die prodiit fluxus menstruus, & fœmina sana fuit.

Morbi inflammatorii hoc mense in nosocomio non sunt observati; unicus æger hepatitide & levi ictero laboravit.

Hypochriondum dextrum mane, & vesperi linimento ex ol. verbasc. unc. ij. camphr. gr. XV. probe perfrictum, dein cataplasmate emolliente continuo fotum est.

Reliqua cura fuit antiphlogistica.

Sub initium quarti diei ortus est horror, & dolor ingens in Lumbis, & osse sacro, & paulo post hæmorrhoïdes intumuerunt; unde dolor in hypochondrio dextro penitus evanuit, & febris facta est longe mitior.

Eodem die urina crassa crassum & subflavum sedimentum deposuit; septimo die urina fere naturalis esse cepit, & febris cessavit.

Solus ventriculus posthac aliquantulum languit, verum, data unica drachma rhei, appetitus, & vires redierunt.





MENSIS OCTOBER.
1758.

PLURES ſimplici febre acuta, quam miliari, aut petechiali decubuerunt.

Symptomata fuerunt mitia, & cura antiphlogiſtica in pleriſque ſuffecit; ſtimulantibus raro opus erat.

In binis ſolummodo fœminis inſoliti tendinum ſubſultus per totum corpus ilico ab initio morbi obſervabantur.

Reliqua ſymptomata ſimillima erant iis, quæ proditura exanthemata præſagiebant; etenim oculi erant turbidi, facies rubra, reſpiratio difficilis, inæqualis cum tuſſicula ſicca, & rara, præcordia erant anxia, caput & lumbi vehementi dolore vexabantur, &c.

Hi tendinum ſubſultus ægras ſtatim in morbi principio debilitarunt, neque ullo remedio nervino, Camphorato, aut opiato, aut cortice peruviano his juncto, aut veſicantibus, &c. ad moderamen redigi potuêre.

Pulſus fuit inæqualis, debilis, multum febrilis, lingua humida, glutine fuſco obducta, ſitis magna, mens ſubinde præſens, ſubinde turbata.

Tendinum subsultus, eadem vehementia semper durantes, demebant omnem somnum & vires, atque morbum lethalem effecerunt.

Remedia alexipharmaca excitarunt sudorem debilitantem, & majora deliria; lenia stimulantia ægras non mutarunt; sola diluentia, refrigerantia frequentes leipothymias produxere.

Unde una ex his ægris sub initium quarti diei inter tendinum subsultus, & convulsiones, apparentibus paucis petechiis, exspiravit. Altera quarto die copiosas petechias habuit absque ullo levamine, & sub finem diei sexti, existentibus adhuc iisdem symptomatibus, orto horrore obiit.

Omnes ex febre acuta convalescentes brevi tempore vires priores recuperarunt, exceptis tribus fœminis, quæ per integrum fere mensem languebant, nihil omnino præter debilitatem conquerentes, pulsus iis erat æqualis, nullo modo febrilis, appetitus bonus, alvus quotidie prodiit naturalis, neque ab assumptis gravamen aut pondus perceperunt, vesperi autem absque febre paulisper delirarunt, somnus insequens fuit quietus, longus.

Nutrientibus, & lenissime stimulan-

tibus, & potu ſeri lactis, aut pro libitu, ipſius lactis recentis binæ ex his fœminis conſervatæ ſunt, atque poſt longam moram vires priores iterum obtinuerunt.

Tertia vero neque ex his, neque ex ſola cura lactea, neque ex roborantibus, &c. ullum levamen percepit; ſtimulantia paululum fortiora nocuerunt; cortex peruvianus, quacunque forma datus, nauſeas & vomitus excitavit; hinc tota emaciata accedente diarrhæa fato ceſſit.

Cadaver apertum nullum notabile vitium exhibuit, niſi, quod omnia viſcera, & partes carnoſæ pallidæ, & albæ fuerint. An peculiaris quædam malignitas in his ægris latuit? an ea ſubtiliſſimis nervis firmiter impacta hæſit? an in tertia ægra vaſa quædam ſubtiliſſima deſtruxit adeo, ut nutritio fieri non potuerit?

Omnes qui poſt morbum acutum gravem auditum habuere, recuperatis viribus abſque remedio curati ſunt.

Conſerva N°. 7. tempore intercalari abſumpta febrem intermittentem acutæ junctam optime ſuppreſſit; ne tamen a levi quacunque cauſa accedente denuo rediret, juſſi, ut præter alia remedia, morbo acuto convenientia, ſubinde

parvum cochleare hujus conservæ ægris ingereretur.

Hoc mense Tusses glutinosæ febres exanthematicas frequenter comitabantur, unde decocta expectorantia, quibus addebatur syrup. 5. rad. aper. vel oxymel simplex, aut scillit. stib. diaph. non abl. &c. alternatim cum stimulantibus (dum iis opus fuit) exhiberi debuerunt.

Dum vero stimulantia ad vires erigendas, aut ad expellenda exanthemata non requirebantur, tunc hæc decocta expectorantia toti morbo curando suffecerunt.

Fœmina, tussi molesta a multis annis jam divexata, tandem febre acuta prehenditur. Symptomata febris acutæ erant admodum mitia, vires bonæ, pulsus liber, sputa copiosa, facilia; hinc remedia expectorantia, diluentia omni indicationi satisfacere videbantur.

Sub finem sexti diei absque ullo assumpto remedio alexipharmaco apparent in pectore miliaria alba; ægra fit anxia, sputum difficile. Septimo die numerosissima erumpunt miliaria, ægra non levatur, supervenit sudor copiosus, debilitans, sistuntur sputa.

Vesicantia, & remedia fortissime expectorantia nihil effecerunt.

Unde orta est summa anxietas, & ægra sublime respiravit, pulsus fuit debilissimus & inæqualis; tandem subsecutus est sopor, delirium, convulsio, & nono die mors.

Miliaria copiosissima semper, & optime elevata erant; sed sudor, præterea continuus, erat adeo largus, ut totus lectus inde maduerit. An natura vires subito nimias ad expellenda exanthemata impendit, atque hac ratione pulmoni vires ademit, sputa inspissavit?

Error nullus in sex rebus non naturalibus est commissus.



MENSIS NOVEMBER. 1758.

PAUCISSIMI ægri exanthemata habebant febris acuta putrida multos detinuit.

Symptomata fuerunt mitia, & maxime communia.

Quinque fœminas ex febre putrida convalescentes scorbutus prehendit: facies, pedes, & manus intumuerunt;

dein labia oris & gingivæ peſſimo cum fœtore exulceratæ ſunt.

Quatuor ex his ægris methodo, poſthac de ſcorbuto enarranda, integre curatæ ſunt. Quinta vero non ita felix fuit; nam abeunte ſcorbuto abſceſſus ingens femur dextrum occupavit ; & ægra anxie reſpirare , frequenter tuſſire , & copioſam purulentam materiem ſputis rejicere cepit. Abſceſſus ad femur apertus ingentem puris tenuis copiam exhibuit. Aperto abſceſſu ægra vires amiſit, ſputa minus facile egeſſit ; tandem ad femur acceſſit gangræna, & ægra mortua eſt. Cortex peruvianus, licet quotidie ad unicam j. aut j. ß. præter alia remedia fuerit exhibitus , gangrænam non potuit impedire.

Per multi hoc menſe pleuritide decubuerunt.

Venæ ſectionibus, pro neceſſitate repetitis, remediis antiphlogiſticis, decoctis emollientibus , quibus mel , vel oxymel ſimpl. vel ſcilliticum &c. nit. pur. ſtib. diaph. non abl. &c. addebantur , & cataplaſmatibus , loco dolenti continuo adplicatis, plerumque cura omnis abſoluta eſt.

Si tuſſis ſicca in initio morbi nimis moleſta ægros defatigavit , tunc ſyrupo

diacod. cochleatim exhibito mitigari debuit, non vero ſupprimi.

Si dolor punctorius, factis neceſſariis venæ ſectionibus, & pulſu moderate febrili exiſtente, atque alvo libera, non remiſit, tunc nulla diei habita ratione veſicans, æque latum ac plago dolens, appoſitum dolores mox ſedavit.

Si dolore punctorio unum locum relinquente, & occupante alium, aut in eodem loco increſcente febris iterum major facta eſt, tunc denuo cura venæ ſectionibus, & remediis antiphlogiſticis &c. inchoanda fuit.

Plurimi ſputis judicati ſunt, pauci alvo.

Nulli pleuriticorum poſt pleuritidem alius morbus ſupervenit. Nullus ex pleuritide hoc menſe mortuus eſt.

Si a tuſſi moleſta noctes turbatæ fuerunt, tunc veſperi datus hauſtus ex ol: lini unc. iij. laud. pur. gr. j. ß. tuſſim ſedando ſomnum conciliavit, & ſputa matutino tempore facilius & largius prodire fecit.



MENSIS DECEMBER.

1758.

FEBRES petechiales & miliares erant frequentiores quam menſe præcedenti.

Mortalitas non fuit magna, licet ſymptomata fuerint ſat mala.

Vix non omnes ægri medicamentis ſtimulantibus erigi debebant, quoniam eorum pulſus, & vires debiles deprehenſæ ſunt.

Stupidi, profunde ſoporoſi, & delirantes per plures dies plerique jacebant: lingua iis erat ſicca, pulſus debilis, ſed æqualis, aliis reſpiratio difficilis, aliis facilis; ſitis omnibus magna.

Quidam alvum immorigeram habuerunt, quidam leni diarrhæa non debilitante jam ab initio morbi vexati ſunt.

Diarrhæa talis non debilitans ſibi relinquebatur; alvus immorigera, ſi nulli borborygmi, ventris dolores, hypochondriorum tenſiones, aut deponendi conatus obſervati ſunt, nullo medicamento irritata eſt, etenim ipſa natura ſine ulla turbatione ſe ſemper juvit.

Convulſiones, & tendinum ſubſultus rariſſime conſpiciebantur.

Iis, qui febre miliari decubuêre, emulſ. N°. 8. aut miſt. N°. 10. maxime profuit: claret, N°. 1. vero iis, qui febrem petechialem habuerunt.

Qui non erant ſoporoſi, omni veſpera unc. j. ſyrupi diacod. optimo cum effectu aſſumpſerunt.

Soporoſi, & pectore anxii pro ratione circumſtantiarum vel binis, vel quaternis, vel pluribus veſicantibus excitari debuerunt, & ex his maxima ſalutis pars pependit.

Surgentes ex morbo acuto plerique vires ſuas brevi recuperarunt.

Ii vero, qui ob luem veneream mercurio antehac uſi ſunt, non tantum durante febre acuta pejus ſe ſe habuerunt, quam alii eodem morbo affecti, ſed & convaleſcentes diu manſuerunt debiles, & languidi, & præterea pectoris ſiccitatem, anheloſam reſpirationem, membrorum tremorem ſunt conqueſti.

Pulſus iis poſt morbum manſit debilis, & omni veſpera levis horripilatio, & lenis febricula obſervata eſt.

Sola cura lactea, & decoctis emollientibus largiter hauſtis ſenſim caro & vires his ægris redierunt; & ſi tunc

adhuc quid luosi superfuit, remedia necessaria tuto exhiberi potuerunt.

In initio morbi acuti, si similibus ægris sanguis fuit e vena missus, erat is rutilus, & mansit penitus solutus; atque sanguine alius ægri longe citius putrescere, & fœtere cœpit.

Claret N°. 1. & alia remedia probe stimulantia, quibus magna spiritus sulphuris per camp. copia admista est, his ægris maximum levamen adtulerunt.

Sola stimulantia sine acido minerali sudorem copiosum, fœtidum, & defatigantem protrusere, & ægros in pessimum periculum conjecerunt.

Similium ægrorum exanthemata erant plerumque petechiæ profunde rubræ; miliaria numquam sola in his ægris observata sunt, raro petechiis intermixta conspiciebantur.

Unicus ex his venereis: etenim spatio quatuordecim dierum sex tales ægros acuta affectos habui, mortuus est febre petechiali.

Et erat is jam in principio morbi soporosus, & statim deliravit, pulsum habuit inæqualem, parvum, oculos tristes, respirationem difficilem; petechiæ debito tempore comparuerunt, sed earum color fuit lividus, subniger.

Vesicantia paucum serum adtraxerunt, et, ablata pellicula, plaga ilico profunde exulcerata est.

Circa mortem tubercula in facie prodierunt, magnum pisum figura & mole æquantia, coloris fere nigri; & omnia citissime in pessimam putredinem abivere.

Remedia quæcumque in hoc ægro tentata, ne quidem mali progressum impedire, multo minus malum aufferre potuerunt.

Alvum & urinam semper inscie dimisit; alvus fuit subviridis, & admodum fœtida, verum neque copiosa, nec frequens.

Mirum: quod tanta acrimonia in hoc corpore latens dysenteriam non produxerit.

Quidam ægri circa tempus eruptionis exanthematum singultu, quidam inani vomendi conatu vexati sunt.

Si sola irritatio hæc symptomata produxit, tunc lenibus narcoticis facile compesci potuerunt.

Si autem vomitus a materie in ventriculo hærente excitatus fuit, tunc aqua tepida mellita, aut leni ypecacuanhæ dosi promoveri debuit, quod semper cum maximo ægrorum levamine contigit.

Dum ab initio morbi, hærente in ventriculo magna vel parva ſaburra, vomitorium non fuit neglectum, tunc ſimiles vomitus nunquam ægris ſupervenerunt.

Negligi tamen ſubinde debuit in fœminis, quæ circa graviditatem ſuſpectæ habebantur.

Verum tales poſt morbum diu manſerunt debiles, nec appetitus illis rediit; unde rheo una alterave vice purgandæ erant.

Quibus, morbo fugato, languit ventriculus, ii fere ſemper habuerunt urinas tenues, fœtidas, ſubinde turbidas, & flocculentas, ab aſſumptis pondus circa ventriculum conqueſti ſunt.

Et his pulvis N°. 21. appetitum & vires reſtituit.

Ex mala diæta multi recidivam paſſi ſunt.

Ex recidiva denuo convaleſcentes diu languerunt.

Binis ægris ex acuta optime convaleſcentibus, & noſocomio jam fere valedicturis ad femur dextrum orti ſunt dolores ingentes, ſine tumore manifeſto, ſine febre & ſiti.

Fomenta externa; diluentia, & reſolventia medicamenta interne exhibita,

atque interposita purgantia vix dolorem mitigarunt ; & si dolor per diem paululum remisit, vesperi denuo exacerbatus est.

Hi ægri a nullo medicamento levamen percipientes sensim contabuerunt, & febre hectica atque sudore nocturno consumpti sunt.

Femur in utroque erat cariosum. An imperfecta in his ægris crisis facta est? licet petechiæ pulchre apparuerint, nullumque signum id manifestaverit. An materies ex morbo superstes restauratis viribus ad has partes fuit deposita?

Fœmina ictero ab aliquot diebus laborans corripitur horripilationibus, dolore capitis, siti magna ; pulsus fit celer, plenus, respiratio difficilis.

Pulsus plenus, & continuo febrilis venæ sectionem, & remedia antiphlogistica, putredini resistentia indicavit.

Urina fuit ex flavo ruffa, chartam tingens. Circa quartum diem ægra fuit anxia, debilis, & hinc inde pauca miliaria apparuerunt.

Suris ilico apponebantur vesicantia, & præter potum ordinarium, qui erat serum lactis, exhibebatur alternis vicibus vel claret. N°. 1. vel emulsum N°. 8.

noctes diacodio tranquillæ factæ sunt.

Septimo die copiosissima miliaria alba proruperunt, vires tamen mansuerunt debiles, respiratio fuit liberior; verum eodem die accessit delirium, & capitis gravitas.

Nuchæ igitur vesicans appositum est, & medicamenta priora continuata sunt.

Undecimo die adhuc deliravit, jactitavit membra, fuit debilis, anxia; sitivit multum, subdormivit oculis semiclausis, urina fuit ex fusco ruffa, chartam profunde tingens, nullum sedimentum ponens; fœces albæ.

Sub finem diei undecimi subsequebatur sudor copiosus, disparuerunt fere omnia miliaria, & ægra paulo post melius habuit.

Sudor usque ad decimum quartum diem subinde admodum lenis, subinde magnus fuit, ægram autem nunquam defatigavit.

Decimo quarto die mens facta est serenior, febris mitior.

Decimo septimo die febris desiit; & vires sensim auctæ sunt.

Vigesimo quarto die actiones fere omnes erant bonæ, urina tamen ex flavo fusca mansit; fœces fuerunt adhuc albæ, & cutis tota icterico colore profunde tincta.

Sequente die ad icterum curandum exhibebatur mist. N°. 11., qua bis absumpta icterus disparuit, & ægra fuit sana.

Exanthemata miliaria in hac ægra observata, æque alba fuerunt ac in aliis ægris, licet cutis per universum corpus profunde flavo colore tincta apparuerit.



MENSIS JANUARIUS.

1759.

PERIPNEUMONIA multi decumbebant, symptomata fuerunt mitia.

Sub initium omnes conquerebantur horripilationes, calores alternantes, dolorem capitis, spinæ dorsi, subinde dolorem per omnia membra lancinantem, & sitim magnam.

Tussis plerumque fuit sicca; respiratio magis, vel minus læsa; pulsus multum febrilis, subdurus. Febris, sitis, tussis, dolor capitis, respiratio læsa, & reliqua symptomata fere semper usque in tertium diem immutata perstiterunt, & tunc omnia reddebantur mitiora, sputumque glutinosum prodire cepit.

Quarto die ſputa fiebant copioſa, cocta, febris mitis, ſitis mediocris, reſpiratio longe liberior, & urina, quæ ſub initium fuit multum colorata, ruffa, & in medio nubeculam geſſit, comparuit turbida & mox copioſum, craſſum, ruffum, vel albidum ſedimentum depoſuit.

Alvus aut enemate, aut natura promota eſt.

Circa ſeptimum diem plerumque à febre judicati ſunt omnes; ſputa dein adhuc per aliquot dies citra difficultatem cocta prodiverunt.

A ſeptimo die rediit appetitus, redierunt vires.

Solis decoctis emollientibus, expectorantibus, quibus additum eſt oxymel ſimpl. aut ſcillit. ſtib. diaph. non abl. &c. tepide hauſtis, integra cura abſoluta fuit.

Ob dolorem capitis epiſpaſtica plantis pedum applicata ſunt.

Venæ ſectio unica fere in omnibus ſuffecit; imo quibus ab initio ſputa fuerunt facilia, & copioſa iis vena non eſt aperta.

Pulmo a tuſſi ſicca nimium agitatus diacodio pacari debuit, quo factum eſt, ut ſputa citius cocta, & copioſa prodierint.

Si tamen procedentibus ſputis dolor capitis, ſpinæ dorſi & membrorum in quartum diem permanſit; ſi pulſus fuit ſuppreſſus & inæqualis, reſpiratio celeris citra inflammationis ſignum, pectus anxium; ſi oculi fuerunt triſtes, vel obſcuri, aut torvi, ſitis magna, urina ruffa, tunc ſuſpicari licuit, latere exanthemata.

Et ſimilibus ægris plerumque quarto die prodierant vel copioſiſſimæ petechiæ, vel miliaria alba, aut rubra, aut maculæ morbilis haud abſimiles.

Hæc ſi ita contingerunt, & ſi ſputa non ſunt ſuppreſſa, ſique ægri vires ſuas conſervarunt, tunc eadem die omnia ſymptomata remiſerunt, & urina craſſum ſedimentum poſuit.

Tales ægri ſolo decocto hord. alth. decoct. pectoral. vel infuſ. veron. heder. terr. fl. verbaſc. rhæad. cum melle, vel oxymell. ſimpl. addito nit. pur. ſtib. diaph. non abl. ſal polychr. &c. percurari potuerunt.

Dum vero vires languerunt, tunc præter expectorantia decocta omni bihorio cochlear unum ex miſtura N°. 14. exhiberi debuit.

Veſicantibus raro opus fuit; neque ullus eſt mortuus, cui quarto die exanthemata,

themata, qualiacunque, rite & cum levamine prodierunt.

Dum vero quarto die vel nulla vel paucissima exanthemata apparuerunt, tunc febris cum reliquis symptomatibus mansit æque intensa, vel omnia ruerunt in pejus.

Quinto & sexto die plerumque stetit morbus.

Circa diem septimum ortus est rigor, anxietas, dein supervenit sudor copiosus; atque si tunc comparuerunt numerosa boni coloris, aut rite elevata exanthemata, æger plerumque magnum levamen percepit.

Verum si circa septimum diem orto rigore, & anxietate, atque superveniente sudore, aut notabili transpiratione pauca tantum exanthemata conspecta sunt, æger vix levatus est.

Quibus autem, his circa septimum diem prægressis, nec ortus est sudor, neque eruperunt exanthemata, neque sputa cocta puriformia, copiosa, facilia prodierunt, aut quibus pauca quarto die apparentia exanthemata septimo die derepente recesserunt cum sputorum, & pectoris oppressione, ii facti sunt soporosi, aphoni, sitis vel est penitus deleta, vel aucta immaniter; lingua ex

fusco viridi glutine obducta & tremula erat, pulsus omnes suas vires amisit, & comparuit mollis, exilis, & maxime inæqualis, atque respiratio anhelosa, laboriosa, densa, subinde rara; unde mors certo certius prædici potuit. Octavo die eadem symptomata videbantur, quæ die septimo.

Nono die frequentes coloris & caloris atque omnium symptomatum excepto sopore, qui idem semper mansit, jam in pejus mutationes observatæ sunt.

Decimus dies fuit nono persimilis in aliquibus ægris, in aliquibus vero sub initium decimi diei exanthemata copiosa visa sunt cum levamine omnium symptomatum excepto pulsu, qui mollissimus, undulosus, exilis, atque multum inæqualis semper exstitit, quique medicum in mortis præsagio confirmavit, licet reliqua omnia ægro & adstantibus spem aliquam spoponderint.

Sub finem diei decimi, vel subinde circa medietatem hujus diei denuo disparuerunt exanthemata, & paucæ solummodo maculæ purpureæ, aut lividæ conspiciendæ erant. Sopor factus est gravior, respiratio sublimis, pulsus longe minor, pejor; supervenit sudor viscidus, defatigans, extrema jam frigi-

da, jam urentia deprehenſa ſunt, facies collapſa, oculi concavi, ſordidi, lachrymantes, apex naſi, & lobuli aurium pallidi, frigidi, labia & genæ mox purpureæ, lividæ, mox pallidæ.

Tandem ſumma eſt orta anxietas, jactatio membrorum, reſpiratio minima, pulſus fere evanuit, demum ſimiles ægri fœces fœtidiſſimas, & urinam citra ullum ſignum dimiſerunt, mox dein venter intumuit, & circa undecimum diem ſubſecuta eſt mors.

Rariſſime inter has viciſſitudines ægri finem diei decimi tertii, aut initium decimi quarti adtigêre.

Nullum novi, qui vitam ultra protraxit. Epiſpaſtica, & veſicantia, quamvis bene operata ſunt, nil tamen ægros ſimiles juverunt, vel ſi inter ipſam operationem aliquot levamen adtulerunt, illud mox iterum evanuit.

Fortia alexipharmaca excitarunt delirium ferox, immanem ſitim, magnam pectoris anxietatem, ſudorem fœtidum, nec erexerunt pulſum, ſed auxerunt periculum.

Lenia camphorata, vinoſa, infuſa lenia aromatica addito multo ſpiritu ſulph. per camp. & interpoſita paregorica, quæ motus nimios, & inordina-

tos compescebant, maxime prodesse videbantur; imo similia remedia magnum sæpe levamen ægris dedêre, verum hoc non diu duravit.

Acetum quadrupla copia aquæ dilutum, ad gratum saporem syrup. diacod. edulcoratum, & largiter potatum ægris quoque gratum & utile fuit.

Cortex Peruvianus jam a tertio aut quarto morbi die, dum nimirum ex signis præsentibus adeo mala symptomata superventura conjiciebantur, quotidie ad unciam unam, & ultra, diversa in forma datus, hæc pericula quoque superare non valuit.

Similes ægri per totum morbi decursum quotidie bis, ter, aut quater alvum ex fusco viridem, fœtidam, & incoctam inscie dimiserunt.

Aliud morbi genus hoc mense observatum est, in quo ægri nec validam febrem, nec magnam sitim, neque appetitum penitus deletum habuerunt; sed vires a primo statim die multum languebant, & caput temulentum ac grave fuit. Urina coloris fere naturalis tenuem nubeculam in medio gessit; alvus quotidie aliquoties reddita liquida & flava fuit, & valde fœtuit.

Tales ægri non credentes sibi multum

deficere nolebant lecto inhærere; verum vires debiles situm erectum non admiserunt.

A primo usque ad septimum diem morbus in eo statu permansit, tandem septimo die febris major orta est, caput, quod prius temulentum & grave fuit, acute doluit, post aliquot horas accessit profundus sopor, quo oppressi nec ad rogata responderunt, nec oblata debito modo assumpserunt.

Octavo, nono, & decimo morbi die per vices jam in hac jam, in illa corporis parte pauca miliaria alba, vel quædam petechiæ apparuerunt, & intra paucas horas disparuerunt iterum.

Sub finem decimi diei febris subito remisit, pulsus intermisit, extrema facta sunt frigida, & æger undecimo die exspiravit.

Rarissime paulo ante mortem his ægris mens rediit.

In hoc morbo statim in principio, licet symptomata non adeo periculosa fuerint visa, remediis internis, externisque succurrendum fuit.

Emulsum cum pauca camphora, & lenissima infusa rad. serpent., contrajerv., angel. &c. optime conservarunt ægros, si externa non fuerunt neglecta.

Etenim jam quarto die nuchæ vesicans, & plantis pedum acria epispastica debuerunt adponi, quo facto temulentia est multum imminuta, & septimo die, sine ulla fere anxietate, vel miliaria alba, vel petechiæ prodierunt, vel ambo simul.

Atque ægri tunc satis commode habuerunt, & solis infusis suprà notatis facillime sanati sunt.

In principio morbi fortia stimulantia exhibita delirium, stridores dentium, & soporem intra paucas horas produxerunt, fecerunt ægros immorigeros; & tunc septimo die mors secuta est.

In aliis ægris acute decumbentibus observati sunt dolores vagi, qui jam extrema membrorum, jam articulos, jam scapulas, jam pleuram, pulmonem, aut caput occuparunt.

Si his pulsus fuit sat fortis, non multum inæqualis, respiratio non admodum læsa, neque sitis nimia, tunc prodeuntibus quarto die copiosis exanthematibus febris cum ægrorum levamine multum remisit, & undecimo die penitus desiit.

Si vero tertio die evanuerunt dolores, & eadem die pauca tantum exanthemata sine levamine apparuerunt, sique pulsus

inæqualis, debilis fuit, & respiratio difficilis, sudor largus, defatigans, alvus liquida, frequens, valde fœtida, urina tenuis, aut fere naturalis, tunc quarto die iterum disparuerunt exanthemata, redieruntque dolores, & æger longe pejus habuit.

Quinto die, aut in principio sexti diei, denuo comparuerunt pauca exanthemata, & sudor defatigans auctus est, æger magis anxie respiravit, oculi facti sunt tristes, lachrimantes, sitis remisit.

Septimo die prægresso delirio, & sopore mors plerumque supervenit; si vero æger hoc die adhuc vitam conservavit, tunc inter summas anxietates & membrorum jactationes nono die, aut nocte undecimum præcedente mortuus est.

Si sexto die dolor valde acutus cum virium prostratione, livore labiorum & genarum in ventre ortus est; si pulsus fuit exilis & intermittens, respiratio sublimis, sitis ingens, tunc venter sensim intumuit, & septimo die æger subito obiit.

Bina talia cadavera aperui, in uno lienem totum spacelo consumptum reperi; in altero autem erat magna portio intestini coli gangrænosa, & præterea totum omentum nigrum, putridum,

An materies maligna, vaga, ad has partes deposita subitum sphacelum induxit?

Infusa diaphoretica his ægris maxime conduxerunt.

Alexipharmaca fortia ægros reddiderunt soporosos, & mortem accelerarunt.

Binos ægros imminentibus signis futuræ in ventre gangrenæ servavi mist. N°. 16. ex qua omni semi-hora cochlear unum datum est.

In tertio tamen ægro, qui eodem modo se habuit, hæc mistura nihil effecit, nam subito venter intumuit, subsecutæ sunt frequentes Leipothymiæ, & tandem anxia mors.

Altero die venter hujus cadaveris fuit adhuc calidus: fœtor enormis sectionem vetuit.

Aliud genus morbi hoc mense fuit, ubi debito tempore miliaria copiosissima prodierunt, sed absque ægri levamine; vires enim manserunt prostratæ, respiratio suppressa, pulsus debilis, inæqualis, caput grave, temulentum, aut profunde soporosum; & sudor viscidus, fœtidus, qui maxime circa frontem & jugulum comparuit, ægros multum debilitavit.

His ægris numerus exanthematum


quotidie auctus est, ita quidem: ut sex septemve miliaria & sæpe plura sibi invicem racemorum instar adhæserint, & nihilominus tamen mansit pulsus undulosus, debilis, respiratio anxia, densa, mens delira.

Acida mineralia lenissimis diaphoreticis diluta, & syrupo diacod. edulcorata his ægris fuerunt utilissima.

Verum cortex peruvianus sæpe multo præstantior fuit, quam omnia hæc remedia, præsertim dum horripilationes, febrisque exacerbationes certis horis redeuntes observatæ sunt; sed magna dosi exhiberi debuit.

Si tamen ægri admodum debiles & anxii membra continuo jactitarunt, tunc iis nec cortex peruvianus, nec ullum aliud remedium quid juvit.

Si his ægris tertio die orta est diarrhæa, tunc septimo interierunt; si vero diarrhæa non supervenit, tunc fere semper ad undecimum diem vitam protraxerunt; rarissime nono die mortui sunt.





MENSIS FEBRUARIUS. 1759.

VIx non omnes acuta decumbentes levi peripneumonia ſimul laborarunt.

Vires debiles in pluribus cardiaca poſtulabant; unde decoctis emollientibus, expectorantibus ſub finem additæ ſunt herbæ leniter aromaticæ, ut ſunt veron: heder. terr. tuſſilag. agrimon. rad. fœnic. ſerpent. virg. contrajerv. &c. vel præter decocta expectorantia interpolatis vicibus datum eſt unum alterumve cochleare ex emulſ. N°. 8. vel ex miſt. N°. 10. aut N°. 14.

Tertio plerumque die ſputa ceperunt prodire; ſubinde quarto die pauca apparuerunt miliaria, & ſeptimo die cum ægri levamine omnia eruperunt; ſi tunc ſputa ſimul copioſe proceſſerunt, æger optime habuit.

Subinde ſeptimo, haud raro undecimo die, tuſſi jam fere ceſſante, & reſpiratione ſatis libera, ceperunt exanthemata citra turbationem comparere.

Sæpe decimo quarto die primum exanthemata viſa ſunt; & tunc morbus

ad 24 diem protractus est, sed sine malis signis, si respiratio fuit libera.

Si jam quarto, vel septimo die exanthemata integre prodierunt, tunc morbus ultra decimum quartum, aut decimum septimum diem duravit nunquam.

Sputum coctum sæpe oxymelle scillit. gumm. ammon. acet. scill. soluto, kermes mineral., & aliis fortioribus expectorantibus propelli debuit, quoniam ægri vires solæ haud sufficiebant.

Aliquoties circa tempus criseos orta est tussis frequentissima, sicca, ægrum & morbum turbans; unde sedari debuit. Granum unum opii exhibitum plerumque placidum somnum conciliavit, atque tunc exanthemata pulchre prodierunt; & post somnum sputa optime cocta facillime ejecta sunt.

Permulti ægri hoc mense, vel quarto, vel quinto vel sexto die, circa hypochondria tensiones conquerebantur, quibus subsecuta est diarrhæa biliosa.

Hæc, si non nimia fuit, tunc nec morbum, nec usum medicamentorum mutavit; & ideo sibi relicta est.

Si vero nimia fuit, & ægrum debilitavit, tunc laudano liq. sydenh. bis de die ad gtt. X. vel XV. exhibito mitigari debuit.

Supprimere eam non licuit; etenim, ea ſuppreſſa, ortæ ſunt circa præcordia anxietates, deliria, & vomitus.

Unde enematibus alvus iterum fluxilis reddenda fuit.

Si peculiaris quædam acrimonia in inteſtinis hærens talem diarrhæam produxit, tunc ſaturatiſſimum decoctum rad. alth. cum pauco opio, vel emulſ. N°. 19. vel alia medicamenta involventia optimos effectus præſtiterunt. Purgante acrimoniam expellere exanthemata, & ſputa rite procedentia prohibuerunt.

Urina aliquando naturalis fuit, licet febris fuerit magna, aliquando ruffa cum nubecula fundum petente, aliquando craſſa ſine ſedimento, aliquando poſuit ſedimentum craſſum, fuſcum, aut ſubalbidum, aut flocculentum.

Si ſudore copioſo, & pulſu unduloſo ac debili exiſtente, atque reſpiratione difficili, urina tenuis fuit, tunc male cum ægro agebatur.

Urina craſſa, non multum fœtens, & copioſum grave ſedimentum dimittens, majorem ſpem dedit; præſertim ſi reſpiratio non admodum mala fuit; cæteroquin ex urina firmum præſagium nunquam formari potuit.

Quibus pulsus fuit mollis, exilis, inæqualis, respiratio difficilis, corporis jactatio frequens, lingua arida, sitis ingens aut nulla, ii mortui sunt.

Qui animo tristes, & melancholici in febrem acutam inciderunt, ii durante morbo pejus habuerunt, quam alii, &, morbo superato, viribus & appetitu longo diutius caruerunt.

Vir febre acuta decumbens satis benigna symptomata habuit, & sexto die pauca apparuerunt miliaria; unde spes erat sequenti die omnia eruptura.

Verum Vires erant solito debiliores, hinc suris adposita sunt vesicantia, & omni bihorio datum est cochlear unum ex mist. N°. 14.

Nox fuit inquieta, licet æger unc. I. ß. syrup. diacod. assumpserit; mane non plura comparuerunt exanthemata, vesicantia nil operata sunt, vires manserunt admodum debiles; tandem circa meridiem totum corpus, præsertim vero artus & spinam dorsi immanis dilacerans dolor occupavit, dein accesserunt validæ convulsiones, & subita mors. Æger hicce arthritide vaga sæpius laboravit, antequam hoc morbo acuto prehensus fuit; an igitur dolores arthritici supervenientes naturæ cona-

men impediverunt, & ægro adtulerunt necem?

Fœmina ex acuta febre convalescens perfectam amaurosim in oculo sinistro habuit.

In aliquibus post morbum acutum observavi visum admodum debilem, aut leve delirium sine pulsus agitatione, viribus autem increscentibus hæc mala sensim disparuerunt; unde & in hac fœmina simile quid futurum speravi: at vero spe deceptus fui; etenim, viribus jam integris, amaurosis æque pertinax mansit. Hinc ilico nuchæ iterata vesicantia applicari jussi, & alterno die purgans drasticum exhibui; quo factum est, ut spatio decem dierum ægra utroque oculo optime objecta viderit, distinxerit.

Ægra quidem per hæc evacuantia vires suas amisit, verum cortex Peruvianus & diæta probe nutriens brevi optimam sanitatem restituerunt.

Post morbum acutum multi scabie pruriginosa divexati sunt, sed dato uno alterove purgante aut absumpta aliquoties conserv. N. 5. & decocto radicis Bardanæ copiose hausto, hoc malum feliciter curatum est.

Surditas & pedum tumores œdema-

tosi orti post acutam redeuntibus viribus sponte disparuerunt.

Aliquibus ægris cessante febre acuta facies tota tumore albo, molli inflata est, pulsus præterea debilis, tardus fuit.

Verum vesicans nuchæ adpositum, & medicamenta leniter stimulantia, roborantia hos tumores brevi tempore dispulerunt.



MENSIS MARTIUS.

1759.

MULTI acuta prehensi sunt; plurimi inter illos habuerunt petechias, pauci miliaria.

Tussis vero omnibus juncta erat; diarrhæa biliosa quoque multos divexavit.

Si tertio die (quod rarissime contigit) pauca stigmata exanthematum apparuerunt, tunc quarto die copiosiora cum quodam ægri levamine proruperunt, septimo die denuo plura supervenerunt, & æger belle habuit.

Sæpissime sexto die hinc inde quædam exanthemata conspecta sunt, & septimo prodierunt plura, undecimo facta est integra crisis, & omnia in melius mutata sunt.

Si ægri difficulter respirarunt, aut frequenter delirarunt, aut profundo sopore detenti sunt, tunc vesicantia sat acria suris adplicari debuerunt, & si mala symptomata non fuerunt imminuta, tunc & humeris, & nuchæ adplicata sunt.

Tussis & diarrhæa methodo, præcedenti mense enarrata, curabantur.

Dum petechiis decumbentes debiles erant, maximum levamen perceperunt ex mistura N°. 10. vel ex claret. N°. 1. qui vero miliaria habuerunt, iis magis conduxit emuls. N°. 8. vel mist. N°. 14.

Si autem nullo fere stimulo opus fuit, tunc totus morbus & omnia symptomata solis infusis herb. scab. veron. heder. terr. &c. flor. verbasc. rhæad. &c. melle edulcoratis percurari potuerunt; mellis tamen loco his infusis addi debuit syrup. flor. rhæad. aut syrup. diacod., si diarrhæa ægros debilitavit.

Si iis, qui saburram in ventriculo gesserunt, statim in initio morbi datum est emeticum, tunc durante morbo diarrhæa raro supervenit.

Si vomitorium in initio morbi neglectum fuit, tunc ægri erumpentibus exanthematibus nullum omnino leva-

men perceperunt, & continuam præcordiorum anxietatem, nauſeam, ac vomituritionem conqueſti ſunt.

Atque ideo in medio morbo & efflorefcentiis optime exſtantibus ſæpe vomitorium exhiberi debuit; & paulo poſt ab omni anxietate liberati ſunt ægri, & morbum reliquum facile ſuperarunt.

Neque tuſſis emeticum dare prohibuit, etenim ea non fuit peripneumonica, & poſt vomitum plerumque mitior reddebatur.

Quibus ſuperveniente diarrhæa ſputum ſuppreſſum eſt, & ſudor inæqualis, mox gelidus, mox calidus vires dejecit, quibus oculi concavi facti ſunt, labia oris livida, naſus & aures pallidæ, reſpiratio ſublimis, ii fere omnes mortui ſunt, licet exanthemata rite elevata, & optimi coloris apparuerint.

Si tamen in periculoſiſſimis his circumſtantiis obſervatæ ſunt periodicæ horripilationes, & manifeſtæ febris caloriſque intenſiones, atque remiſſiones, tunc miſt. N°. 16. omni ſemi-hora ad duo cochlearia aſſumpta ſubitum levamen adtulit.

In uſu hujus miſturæ ſed minus frequenti perſiſtebatur uſque ad morbi

finem; & tunc neque redierunt amplius horripilationes, febris mansit mitis, æqualis, vires ægri sensim increverunt, denuo prodiit sputum, remisit nimius sudor, nec turbata sunt exanthemata; diarrhæa dato omni sexta hora leni paregorico admodum mitis facta est.

Si vero hæ horripilationes, & ægri mutationes ab imminente suppuratione originem duxerunt, tunc hæc mistura parum juvit. An tempore vernali diversæ febres intermittentes febribus acutis sæpe junguntur, atque eas turbant?



MENSIS APRILIS.
1759.

NUMERUS acute decumbentium fuit sat magnus.

Omnes noctu delirarunt, de die vero sibi erant præsentes, oculos habebant rubros, linguam siccam, fuscam, sitim mediocrem; caput plerisque multum doluit, pauci tussicula affecti sunt, respiratio fere omnibus fuit libera.

Omnes pulsum debilem habuerunt, unde medicamentis leniter stimulantioribus opus erat.

Plurimis miſt. N°. 10. profuit, quibuſdam claret. N°. 1. iis vero, quos convulſiones & tendinum ſubſultus defatigarunt, miſt. N°. 14. optime conduxit.

Veſicantia ſuris & nuchæ adplicata ſopores & delirium mitigarunt, atque pulſum fecerunt liberiorem.

Si ægri noctu inquieti fuerunt, tunc opiato ſomnus conciliabatur.

Febris exacerbationes obſervatæ, uſu miſt. N°. 16. ſemper cum ægrorum levamine ſuppreſſæ ſunt.

Diarrhæam teneſmoideam, ut & ſingultum a ſolo inordinato ſpirituum motu productum laudan. liq. ſydenh. omni tertia hora ad X. gtt. exhibitum brevi ſedavit.

Diarrhæa a laxitate orta miſt. N°. 18., ea vero, quæ ab acri in inteſtinis dependebat, emulſ. N°. 19. aut decocto emollientiſſimo & involventi oleoſo curata fuit.

Multis die 14, ceſſante febre acuta, acceſſit febris quotidiana aut tertiana, quibuſdam id undecimo die accidit.

Si vires ægri fuerunt debiles, tunc ilico cortex Peruvianus in uſum vocari debuit.

Si vero vires aliquot paroxyſmos ferre

potuerunt, tunc æger drachma una rhei tempore intercalari purgatus fuit, antequam corticem Peruvianum assumpsit.

Si autem ægri vires sufficientes habuerunt, tunc methodo postea enarranda percurata est febris intermittens.

Parotides sub finem morbi ægris supervenientes erant admodum molestæ, & nullis fere remediis cesserunt.

Resolventia & alvum leniter moventia interne exhibita, emollientia & discutientia applicata externe longa tandem mora hos tumores aut ad suppurationem redigerunt, aut dissiparunt. In binis tamen ægris hæc nihil effecerunt, parotides durissimæ semper magis increverunt, respirationem & deglutitionem impediverunt, & hos ægros penitus suffocarunt.

Arthriticis, aut ischiaticis, aut podagricis, si in ipsa febre acuta dolor rediit, tunc sæpe improvisa mors subsecuta est, aut ægri longe pejores facti sunt; aëris vicissitudines quoque multum & derepente ægros mutarunt.



MENSIS MAIUS.

1759.

MILIARIA & petechiæ graſſabantur hoc menſe; quidam ægri methodo ordinaria facile curati ſunt. Quidam vero majorem ſedulitatem & curam poſtularunt.

Nam a principio morbi habuerunt pulſum exilem, non multum febrilem, vires dejectas, ſitim paucam, appetitum deletum, caput grave, linguam ſordidam; alvus prodiit quotidie pultacea, ſubfuſca, fœtida; ſomnus fuit turbatus, defatigans, urina, in morbi initio naturali paululum coloratior, morbo progrediente ſenſim tenuior facta eſt, & levem diſperſam nubeculam tenuit, oculi erant plerumque turbidi, triſtes, reſpiratio difficilis.

Vires dejectæ ſtatim in principio miſtura N°. 10. aut N°. 14. aut alio ſimili medicamento erigi debuerunt.

Dein ſuris & nuchæ applicata ſunt veſicantia, & hæc ſi reſpirationem liberam, & pulſum magis elevatum & fortem reddiderunt, tunc ſpes erat, ægrum

evasurum. Unde in similibus remediis & arte, & ratione indicatis erat insistendum.

Verum si his factis nec pulsus melior fuit, nec caput magis serenum, nec respiratio facilior, tunc spes vitæ evanuit.

Cortex Peruvianus vel solus, vel stimulantibus & diluentibus antisepticis junctus hos ægros reddidit anxios.

Circa septimum diem sæpe apparuerunt exanthemata pauca, eaque non constantia, sed mox disparentia, mox iterum apparentia; manserunt ægri debiles & anxii, atque sudarunt continuo sudorem fœtidum. Acida mineralia juncta stimulantibus nullum quoque effectum præstiterunt.

Paregorica omni quarta hora exhibita præter levem & turbatum somnum effecerunt nihil. Urina semper tenuior & pallidior facta est; & subinde septimo die sequebatur diarrhæa debilitans, nullis remediis cedens.

Nono die plerumque plura prodierunt exanthemata, verum absque ægri levamine; sudor fœtidus, tenax continuavit, & æger sensim vires omnes amisit.

In principio decimi diei adhuc vi-

denda erant omnia exanthemata, sub ejus finem vero subito disparuerunt. Atque circa undecimum diem inter summas anxietates & membrorum jactationes mors scenam clausit.

Quibusdam jam quarto die milliaria alba eruperunt, sed symptomata non reddebantur meliora.

Et tunc septimo die numerus exanthematum adeo notabiliter fuit adauctus, ut plura miliaria sibi cohærentia in racemos fuerint elevata, aut subinde in unam vesicam confluxerint. His ægris respiratio fuit anxia, pulsus debilis, inæqualis, genæ mox rubebant, mox pallebant, sudor continuus, viscidus caput occupavit, oculi fuerunt rubri, lachrymantes.

Uncia una ex mist. N°. 16. omni semihora exhibita, miros & celeres effectus præstitit, atque usu continuato omne mortis periculum sæpe dispulit.

Fuerunt tamen, quos nullum medicamentum adjuvit; atque hi nono, aut quod frequentius accidit, undecimo die mortui sunt.

Rarissime in similibus casibus mors decimum quartum diem exspectavit.

Qui statim sub initium morbi habuerunt pulsum valde debilem, & inæqua-

lem, oculos tristes, turbidos; respirationem laboriosam, faciem purpuream, caput grave, sopore oppressum, urinam ruffam, linguam aridam, sitim intolerabilem, ii circa septimum diem occubuerunt, licet petechiæ satis boni coloris tunc comparere ceperint.

Fortia alexipharmaca his semper nocuisse deprehendi, mitiora nil mutarunt; vesicantia & epispastica nullum levamen adtulerunt; Qui soporosi a quarto die erant, manserunt usque ad mortem.

Similia cadavera ilico post mortem fiebant purpurea, livida, atque talia manserunt, quam diu calor tactu percipiebatur; hoc vero disparente totum cadaver naturalem colorem induit.

Pulsus undulosus & respiratio omni morbi tempore multum læsa pessimum præsagium semper formaverunt.

Multi fuerunt, qui nauseas, vomiturítiones, anxietates circa præcordia, os sordidum & amarum conquesti sunt, atque his vomitorium unum alterumve præberi debuit.

Id si factum non est, tunc totus morbi cursus fuit turbatus, & æger nullo medicamento levamen percepit.

Paterfamilias mei nosocomii vir 71. ann. clarum hujus rei exemplum dedit. Prehende-

Prehendebatur is febre continua, putrida, & inter alia mala ſymptomata continuas vomituritiones eſt conqueſtus, imo vomuit aliquoties materiem bilioſam, glutinoſam. Vir hic tres hernias habuit, quæ emeticum prohibebant.

Unde diluentia, digerentia, putredini reſiſtentia medicamenta largiter haurienda exhibui.

His non obſtantibus die quarto res tota in pejus ruit, nec ceſſarunt vomitus, & acceſſit ſingultus.

Quinto die advocatur in conſilium celeberrimus Medicus QUARIN Senior, qui (licet magnus emeticorum patronus) his tamen in circumſtantiis ob tot hernias, & tantam ſenectutem non auſus eſt concedere vomitorium.

Atque ideo concluſimus remediis digeſtivis, ſalinis, & alvum leniter moventibus ventriculum exonerare.

Verum poſtero die æger pejus habuit, fuit febris vehementior, vomitus longe frequentior, moleſtior.

Unde herniis rite firmatis, & ventre faſciis ligato, emeticum exhibuimus, quod magnam glutinis, & bilis copiam eduxit, quodque tantum effectum produxit, ut binis horis ab ultimo vomitu

omnis febris, vomituritio, & anxietas abfuerit.

Vefperi datum opiatum totam noctem quietam reddidit.

Mane evigilans æger optime habuit, rediit appetitus, & folæ vires deficiebant.

Urina, quæ prius ruffa fuit, naturalis facta eft.

Poft octiduum abfque errore in rebus fex non naturalibus commiffo in priorem morbum incidit, atque iifdem fymptomatibus divexatus eft.

Verum dato emetico brevi iterum convaluit.

Et modo integre fanus & robuftus eft.

Scabies poft morbum acutum fuperveniens datis remediis, antifcorbuticis leniter purgantibus, & fero lactis pro potu ordinario exhibito, brevi evanuit.



MENSIS JUNIUS.

1759.

Hoc menfe miliaria alba multum graffabantur; rubra fuerunt rariora; petechiæ rariffime obfervatæ funt.

Omnes ægri erant debiles, leviter delirantes, vefperi foporofi.

Vesicantia plurimum juverunt, & mist. N°. 14. fere omnes servavit.

Nulla peculiaria symptomata observata sunt, nisi: quod quibusdam, febre continua affectis, quarto die, prægressa formicatione & pruritu, per totum corpus copiosissimæ maculæ rubræ, petechiis similes, eruperint; quinto autem die jam erant maculæ iterum pauciores, & minus rubræ; sexto die disparuerunt penitus; septimo die febris desiit; & hi ægri solo infuso fl. samb. citissime convaluerunt. Fuerunt tamen, qui has maculas primo intuitu pro petechiis habuerunt, atque ideo ægris remedia alexipharmaca præbuerunt; verum ab his medicamentis morbus & longior, & periculosior factus est.



QUÆSTIONES MEDICÆ.

An licet in morbo exanthematico indusium mutare? sæpe indusia sudore fœtido, glutinoso, acri, madent, sæpe præ sorditie rigida sunt, unde:

Si exanthemata rite prostant, & æger bene habet, licet, & debet mutari indusium; sed caute, & eo tantum tempore ubi æger non sudat.

Aëri aditus per rimam, aut portam apertam debet intercludi; indusium recenter lotum & sub humidum nocet. Nocet quoque indusium fumo aromatico lustratum; etenim fumus ægri cutim exsiccat, poros claudit, transpirationem reprimit, anxietates producit.

Indusium per unum alterumve diem à sano homine gestatum, & naturali lecti calore calefactum sine noxa similibus ægris induitur.

Ægris vero, qui continuas mutationes patiuntur, quibus mox apparent, mox disparent exanthemata, qui frequentes habent leipothymias, præter summam necessitatem non licet mutare indusium.

Quid faciendum, si exanthemata subito retrogrediantur?

Inveterata est methodus, qua, retrogressis exanthematibus, fortissima exhibentur alexipharmaca.

Verum hæc methodus pluribus nocuit, profuit paucis.

Perfrequenter, retrogressis exanthematibus oritur magna pectoris anxietas, respiratio difficillima, febris magna, sitis ingens, ferox delirium, aut sopor profundus, stridor dentium, &c.

Fortia stimulantia hoc in casu brevi pejora symptomata adducunt, nec re-

deunt exanthemata, aut ſi redeunt, ea pauca ſunt, nec levant, & mox iterum evaneſcunt.

Atque tales ægri certo certius moriuntur.

Vidi longe melius ſuccedere, ſi talia corpora infuſis diluentibus, leniſſime aromaticis impleantur, ſi cruribus, & nuchæ veſicantia adponantur, & poſtea paregoricis ſomnus concilietur.

Etenim in ſomno exanthemata denuo erumpunt, & ægri evigilantes ſeſe multo alacriores & robuſtiores ſentiunt.

Retrogreſſis exanthematibus, ſi pulſus plenus & fortis eſt, tunc venæ ſectio optimo cum eventu celebratur.

Nam eo tempore, quo ſanguis e vena fluit, ægri ſemper levantur, & exanthemata comparere incipiunt, aliquoties hoc in meo noſocomio obſervavi.

Si vero pulſus parvus & inæqualis deprehenditur, & ſi vis naturæ nimium languet, tunc fortiora ſtimulantia neceſſario exhiberi debent, ab iis tamen ilico abſtinendum eſt, quam primum exanthemata rite proſtant.

Tincturis & eſſentiis ſpirituoſis, aliiſque alexipharmacis magis fixis longe ſemper præferenda ſunt remedia illa

volatilissima, virosa dicta, ut sunt: Camphora, Zibeth. mosch. &c. etenim hæc prudenter exhibita, nec augent, nec excitant inflammationem, sed vi sua volatili mox sese expediunt, tenuissima solummodo vasa stimulant, ea permaneant, cutis poros quærunt, per eos aufugiunt, & transpirationi, exanthematumque eruptioni pandunt viam, simulque spasmis & convulsionibus resistunt, quas alia stimulantia haud raro producunt.

Opiata in acutis prudenti manu debito tempore exhibita nocuerunt numquam; imo somnum conciliando, inordinatos naturæ motus domando, ægris mentem & vires erexerunt; quod alia medicamenta nunquam præstare possunt; hinc opiatorum in acutis necessitas probatur.

Senibus tamen, & sopore detentis, opium minus convenit.

An cortex peruvianus præter robur, quod nervis, & fibris induit, sanguinem compingit, inspissat?

Binas fœminas habui, quæ in nosocomio ultra duos menses ob ossis cariem, & gangrenæ metum quotidie magnam corticis copiam assumpserunt; posthac una ex his ingentes capitis do-

lores conquesta est, & pulsus fuit solito plenior, celerior, unde ei venam secari jussi.


Sanguis e vena fluxit rutilus & tenuis, post horam in multum serum, & exiguam, levis consistentiæ, placentam abivit.

Rutilus sanguinis color tam in inferiore, quam superiore placentæ parte, usque in posterum diem permansit.

Alteri fœminæ experimenti causa quoque aliquot uncias sanguinis detraxi, & idem omnino expertus sum.

Miles, qui per plures menses cortice usus est, simillimum sanguinem exhibuit.





DE MORBIS CHRONICIS.

FEBRES INTERMITTENTES.

ALIQUOT centeni ægri, febre intermittente affecti, hoc anno in nosocomio decubuerunt.

Fuerunt autem febres vel quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ; quandoque simplices, haud raro duplicatæ; semi-tertianæ quoque frequenter observatæ sunt.

Nullus ex tot ægris, febre intermittente affectis, mortuus est.

Curatio vix non semper aut vomitorio, aut purgante (quoniam plurimi ex ægris, ad nosocomium translatis, diæta cruda & inordinata antehac usi fuerunt) inchoari debuit, quo facto, reliqua cura fuit longe facilior; imo febris intermittens plus simplici vice unico vomitorio, aut purgante fugata est, aut adeo imminuta, ut insequens paroxysmus absque molestia ab ægris potuerit perferri.

Purgatis primis viis, bis aut ter de die datus est pulvis N°. 29. superbibendo infusum qualecunque.

Hoc pulvere per aliquot dies assumpto paroxysmi plerumque multo leviores fuerunt, nec certum typum amplius servarunt, & sensim ægris vale dixerunt.

Neque alio medicamento ultra opus fuit; recidivæ tamen gratia cavendum erat summopere, ne convalescentes in diæta errorem committerent.

Qui pulverem N°. 29. assumere non poterant, aut qui ex hoc pulvere molestum ardorem in ventriculo & pectore perceperunt, iis conserva, N°. 4. æque bonum effectum præstitit.

Hac sola methodo plurimæ tam quotidianæ, quam tertianæ, & quartanæ, non modo simplices, sed & complicatæ febres perfecte curatæ sunt.

Fuerunt quidem ægri, sed pauci, qui his remediis sat diu usi æque violentos paroxysmos experti sunt, & vires sensim amiserunt.

Unde sine cortice peruviano hos curare erat fere impossibile. Verum minori corticis dosi tunc opus fuit, etenim sola conserva N. 7. aut mistura N°. 17. tempore intercalari absumpta febri suffocandæ semper suffecit.

Si paroxyſmi ab initio jam nimium violenti fuerunt; aut ſi ſub ipſo paroxyſmo valde periculoſa ſymptomata obſervata ſunt: ut ſopor apoplecticus, vehemens cardialgia, dolor colicus acutiſſimus, pectoris ſumma anxietas, aut tuſſis pectus dilacerans, ſanguinem educens; aut rigiditas & tetanus totum corpus occupans, aut dolor ingens renum & lumborum, atque perpetuus & inanis mingendi conatus &c. tunc ſine mora cortex peruvianus exhiberi debuit.

Non omnes paroxyſmi cum frigore inceperunt; ſed erant quidam ægri, qui ilico citra omnem horripilationem magnum æſtum conqueſti ſunt, quo ceſſante copioſe ſudarunt.

Aliis erat frigus magnum, diu durans, calor autem exiguus, brevis; ſudor dein copioſiſſimus.

Habui ægros, quibus omni die determinata hora citra manifeſtam febrem ortæ ſunt cordis palpitationes, aut magnæ pectoris anxietates, tuſſes inanes, violentæ. Aliis certa hora caput totum vel pars capitis vehementer doluit; erat in noſocomio vir, qui quotidie hora quarta pomeridiana viſum ſubito, abſque ullo præcedente ſigno aut do-

lore, amisit, & perfecta amaurosi affectus est; cæteroquin sanus fuit, nec unquam pulsum naturali celeriorem habuit. Post binas horas demum visus iterum subito rediit. Postquam igitur per octiduum determinata hora accedere, & abire amaurosin observavi; tunc omni trihorio drachmam unam corticis peruviani exhibui, & hac ratione intra 24. horas æger perfecte curatus est.

Alia quoque mala, statis horis revertentia, unico hoc remedio curavi.

Si ante usum corticis primæ viæ à sordibus rite purgentur, & hypocondriorum obstructiones resolvantur, tunc cortex nunquam nocere potest; his autem neglectis sæpe cacochymiam & pessimum hydropem producit.

Verum hæc mala longe frequentius observantur ab iis remediis arcanis, quibus agyrtæ febres ilico supprimunt.

Tales ægri redduntur pallidi, debiles, non appetunt, tandem tumet facies, hypocondria dolent, dein tenditur venter, & oritur ascites vix curanda.

Si tamen periculosa symptomata, qualia paulo superius adduxi, jubeant paroxysmos supprimere antequam primæ viæ sufficienter purgatæ sunt, &

hypochondriorum obſtructiones reſolutæ ; tunc ilico, ſuppreſſa febre, ſingulari cura in has partes agendum eſt ; imo, refocillatis ægri viribus, ſæpe juvat dato purgante febrem revocare.

Multa innocua, remedia a plebe contra febres intermittentes commendata, ſæpius tentavi, verum ea incerta, & minus efficacia plerumque deprehendi.

Celeb. BERRYAT. vid. mémoires de mathématique, & de phyſique, &c. tome ſecond, à Paris, 1755. pag. 24. laudat pro novo contra febrem intermittentem remedio laud. liq. ſydenh. in infuſo centaurii minoris exhibitum.

Infantibus trium vel quinque ann. dat ſex guttas, adultis vero viginti, aut triginta pro diverſitate temperamenti, & ætatis.

Tempus illud exhibendi eſt hora ante horroris ingreſſum.

Hanc methodum in multis ægris magna cum attentione adhibui ; bini ſolummodo poſt profundum ſomnum a febre liberati ſunt ; dein vero manſerunt debiles, ſtupidi ; nec iis appetitus rediit.

Unde ad perfectam curationem medicamentis cardiacis, amaris, ſalinis &c.

longo adhuc tempore opus habuerunt.

In unico ægro hoc medicamentum paroxyſmos minus violentos reddidit, non vero febrem integre fugavit.

Aliis omnibus induxit temulentiam, paroxyſmos fecit longiores, atque alvum conſtipavit.

Non tamen ideo extra uſum eſt ponendum hoc remedium, etenim ſub ipſo paroxyſmo ſubinde inordinati motus in nervis fiunt, qui hoc remedio, prudenter exhibito, optime domantur.

Imo per epicraſin datum tollit febres mere nervoſas, quales hyſtericæ, & hypocondriaci quandoque habent, dum iis determinata hora quotidie, vel alternis diebus cum horrore, & pulſus agitatione revertuntur dolores colici, vomitus bilioſi, clavi hyſterici, pleuritis hyſterica, aſthma, cordis palpitationes, &c.

Si his ægris laudano liquido ſydenhami hora ante paroxyſmum ſomnus inducitur, tunc ſopiuntur dolores, & omnia mala ſymptomata; neque advertitur febris, & poſt ſomnum tales ægri alacres ſunt, & vires habent multo majores.

Remediis anti-hyſtericis & nervinis ſedulo poſthac exhibitis omnis recidiva præcaveri poteſt.

Cl. JOAN. CHRIST. JACOBI (vid. acta academ. elect. Mogunt. scient. util. quae Erfordiae est. tom. 1. pag. 216.) describit remedium febri fugum arsenicale, quod sequenti methodo paratur:

℞. arsenic. alb. part. 1.
sal. tart. part. 12.
aq. part. 168.

Haec mixta continuo bullitu ad dimidii aquae consumptionem coquuntur; facta refrigeratione pars aquae evaporata iterum additur, adjecto pauxillo spirit. vin. ad meliorem conservationem.

Ad varii generis febres hoc remedium citra noxam commendat; adultis datur ad guttas 30. infantibus vero pro ratione aetatis ad gutt. 6. 8. 10. 16.

Paravi hoc remedium methodo praescripta, illudque homini adulto debita dosi exhibui.

Febris sistebatur. Verum postea ardorem continuum in sterno, & tussiculam siccam, defatigantem, conquestus est aeger, appetitum penitus amisit, sitivit multum, secesserunt vires & carnes, demum capilli defluxerunt, & supervenit febris hectica.

Hinc aegrum, maximo in vitae periculo constitutum, vehementer dolui;

nihilominus tamen remediis emollientissimis, oleosis, & cura lactea intra duos menses integre restitutus est.

Experimenti causa idem remedium denuo paravi, sed in parando arsenici quantitatem $\frac{1}{3}$ diminui mitius hoc remedium praescripta ab authore dosi denuo homini adulto dedi.

Febris inde non est suppressa, sed paroxysmi fuerunt paulo mitiores. Æger autem in sterno ardorem percepit, amisit appetitum, & tussicula sicca laboravit.

Hinc, ne vires nimium dejicerentur, febrem cortice peruviano debellavi, & praeterea decoctis, & lacte corpus aegri implevi: quo facto, mala symptomata brevi evanuerunt, & aeger convaluit.

His factis experimentis hoc remedium noxium judicavi, & ab eo penitus abstinui.

An iis, qui febre intermittente laborant, & simul toto corpore tument, licet corticem peruvianum exhibere?

Si febris aegrum debilitat, & tumorem auget, tunc necessario cortice debet supprimi; & vidi pluribus vicibus non tantum febrem fugatam, sed & continuato usu corticis peruviani omnem tumorem esse dispulsum.

Hac methodo curavi asciticos, &

anaſarca peſſima laborantes ; verum tunc talia mala a mera vaſorum, & viſcerum debilitate dependebant ; unde cortex febrem ſiſtendo, & has partes roborando, atque liquidum ſæpe per alvum, haud raro autem per urinam educendo, omne malum vicit, & ægros integre ſanavit ; præſertim ſi cortex antiſcorbuticis ſimul junctus fuit.

An licet corticem peruvianum exhibere iis, qui ex induratione hepatis, lienis, aut alterius viſceris, aſcitici facti febre intermittente ſimul laborant ?

Si febris vehemens eſt, neque indurationes reſolvit ; & ſi ob febris violentiam, & ægri debilitatem hydrops anaſarca ſenſim incipit comparere, tunc neceſſario, non obſtantibus obſtructionibus, cortex debita doſi debet exhiberi.

Binis enim hoſtibus ſeu morbis citius occumbit æger, quam uni.

Imo haud raro ex uſu corticis rediit appetitus, incipiens anaſarca diſparuit ; quin imo ventris moles ſubinde diminuta eſt, & æger vires recuperavit.

Atque tunc remediis neceſſariis licuit fortius in obſtructa loca, & contra Aſciten agere ; quamvis tales hydropes ab

indurationibus producti rarissime ex integro curentur.

Ex his patet, a cortice peruviano non esse tanta mala timenda, quanta a pluribus timentur: verum requiritur, ut debito tempore, & probe purgatis primis viis, præbeatur.



HYDROPS.

MORBUS hicce tot, tamque diversas & pertinaces causas habet, ut non raro valde difficilis, aut curatu plane impossibilis evadat.

Tempore autumnali, & incipiente vere plurimum in nosocomio grassabatur.

Verum sæpe numero dolui, ægros jam admodum debiles & morti proximos ad nosocomium fuisse allatos, quibus nulla medicina, nisi palliativa, fieri potuit.

Qui ex morbo diuturno resurgentes citra ullum vitium, in visceribus relictum, ex mera debilitate in hydropem inciderunt, ii remediis roborantibus, amaris, adstringentibus, atque leni frictione, & corporis motu, brevi & facile curati sunt.

Sæpe ſolus cortex peruvianus, & conſervæ antiſcotbuticæ hos ægros optime reſtituerunt. Longe tamen citius juvit vinum medicat. ex fol. Card. bened. abſint. cent. min. rad. gent. pyreth. cort. peruv. cinnam. wint. limatura mart. &c.

Si vero in aliquo viſcere vitium ex morbo ſuperſtes obſervatum eſt, tunc hydropis cura longe difficilior, aut ſæpe impoſſibilis fuit.

Hydrops ex quocunque viſcere ſuppurato ortus fere ſemper in lentam tabem abiit, & morte terminatus eſt.

Hydrops recens, à recenti viſcerum obſtructione productus, plerumque medicamentis reſolventibus, leniter evacuantibus, & ſimul roborantibus facili negotio curari potuit.

Pilulæ N. 33. plurimos tales ægros integre reſtituerunt; harum pilularum loco eodem cum effectu miſturam. N. 11. aut conſervam N. 5. aut alia his ſimilia remedia exhibere licuit.

Verum corporis motus, & frictiones multum ad curationem contulerunt.

Decocta aperientia, reſolventia, pauca copia data, his in circumſtantiis parum effecerunt, majori vero copia exhibita flatus & anxietates excitarunt, deleveruntque appetitum.

Unde his ægris erant minus utilia.

Inveteratæ obstructiones, aut scirrhi hydropem producentes raro resolvi potuerunt, hinc & hydrops ab his dependens nullis fere medicamentis cessit.

Vinum scillit. N. 23. sæpe aquas omnes per urinæ vias eduxit, verum obstructiones plerumque in priori statu reliquit. Unde posthac remediis aperientibus, & resolventibus in hæc loca strenue agendum fuit.

Si tamen diuturno horum remediorum usu obstructiones nequaquam mutantur, tunc potius sibi relinquendæ sunt; secus his remediis ægrorum sanguis nimium dissolvitur, debilitantur fibræ, & sensim lethalis hydrops inducitur; aut scirrhi inveterati in cancros abeunt.

Mistura N. 13. vel vinum N. 34. quandoque multo majores effectus præstiterunt, quam vinum scilliticum N. 23. etenim non tantum lympham extravasatam per urinæ vias expulerunt, sed & obstructiones subinde penitus dissiparunt; unde periculosos hydropes sæpe integre curarunt.

Sæpe tamen & hæc & alia medicamenta nil omnino efficere potuerunt: nam neque moverunt urinam, neque

alvum, & quandoque ſub eorum uſu hydrops pejor factus eſt.

Morbo jam ita periculoſo exiſtente lenia purgantia ſemper inutilia fuerunt; fortia magnam quidem aquæ copiam eduxerunt; verum ægrorum vires inde penitus proſtratæ ſunt, & ventris moles plerumque ſequenti die major apparuit; unde morbus lethalis fuit.

Præſertim ſi ægri, oris & pectoris ſiccitatem atque continuum ardorem, in oſſe ſterno conqueſti ſunt; ſi reſpiratio fuit valde laborioſa, tuſſiculoſa, & per vices ſuffocativa, ſitis magna, &c.

Cum his igitur ægris palliative agendum erat. Alvus vel enematibus, vel remediis purgantibus per epicraſin exhibitis aperta conſervari debuit, ad urinam promovendam lenia diuretica, ſubacida, cardiaca, adhibita ſunt. Acria diuretica peſſimam ſtranguriam produxerunt.

Dum ventris moles nimium increvit, & ſuffocationem minitata eſt, tunc paracenteſi aqua extravaſata educta fuit.

Unde ægri ingens levamen perceperunt, & medicamenta poſthac ingeſta facilius vires ſuas exſerere potuerunt.

Si poſt paracenteſin omni triduo, aut qutriduo purgans, ægri temperamento

& viribus conveniens, exhibitum est, tunc sæpe per plures septimanas venter in naturali statu permansit.

Vinum scillit. N. 23. vel mist. N. 13. vel conserv. N. 22. &c. his in casibus quoque multum profuerunt.

Si tamen his non obstantibus venter iterum intumuit, & æger in summum vitæ periculum redactus est, tunc denuo necessarium fuit altera paracentesi aquam evocare; idque pro necessitate, & rerum circumstantiis quandoque repetitis vicibus in eodem ægro fieri debuit; & hac ratione multorum ægrorum vita per plures menses prolongata est.

Hoc anno quinquagesies hanc operationem optimus mei nosocomii chirurgus GEORGIUS HAFFNER, me suadente, instituit, nunquam inde malum eventum vidi, & ægri omnes aut magnum inde levamen habuerunt, aut integre curati sunt.

Qui ex vitio cujusdam visceris corrupti aut scirrhosi hydrope laborant, iis paracentesis est remedium mere palliativum; eos vero, qui viscera integra habent, & vires bonas, sæpe cito & perfecte curat. aliquos similes ægros sola paracentesi in nosocomio restitui.

Verum paracentesis tunc tantum debet

in usum vocari, quando medicamenta nil efficiunt. Interim tamen nimis diu differenda non est, etenim haud raro contingere solet, ut ægri nimio medicamentorum usu vires omnes amittant, & ad operationem sustinendam inepti reddantur.

In omnibus hydropicis observavi, summe necessarium esse, curationem lenioribus medicamentis inchoare, & hac ratione ægrorum vires, & naturam examinare. Leniora si quemdam effectum præstiterunt, & si ægros non reddiderunt debiles, tunc sensim ad acriora descendere licuit.

Sæpe alvus adeo pertinaciter clausa erat, ut demum fortissima purgantia debuerint adhiberi. Pulvis, N. 35. plerumque claustra rupit, & magnam lymphæ copiam cum ægrorum levamine eduxit; verum ut similia remedia sine ægrorum periculo tententur, requiruntur viscera integra, & vires sufficientes.

Si symptomata & ægrorum vires admiserunt, pulverem N. 35. omni quarto quintove die exhibui, donec ægri integre curati fuerunt.

Si vero vires inde imminutæ sunt, tunc lenioribus purgantibus, aut reme-

diis diureticis, aperta ſemel per hunc pulverem via, ægri facile reſtituebantur.

Quandoque dato omni tertio die purgante hydragogo, hydropem abſque alio remedio brevi ſanavi.

Quandoque vero magis conduxit purgantia per epicraſin exhibere; dum nimirum datum unica doſi fortius purgans vires nimium dejecit. Conſerva N. 22. ſenſim per alvum & urinam aquas ſtagnantes promovendo, multos ab hydrope liberavit. Ægros ſimiles quoque pulchre levat robebuli, ſambuci, de ſpina cervina, &c. præſertim ſi ſal polychr. aut terr. fol. tart. aut borax venet. his admiſceantur.

Sola diuretica, ut vinum N. 23. aut miſtura N. 13, &c. ubi humores non corrupti erant, hydropes ſatis periculoſos ſæpiſſime curarunt.

Si tamen ſub eorum uſu alvus immorigera fuit, tunc omni tertio, quartove die purgans dari debuit.

Menſe Octobri, Novembri & Decembri, hydropici male habebant, & mors ſibi multos vindicavit.

Plurimi non tantum hydrope ventris laborarunt, ſed & ſimul peſſima anaſarca affecti ſunt. Totum enim corpus

pastaceo, lento, frigido tumore inflatum fuit, & ipsa pudenda sæpe multum intumuerunt.

Pulsus plerumque erat exilis, intermittens, respiratio brevis, difficilis; præterea ægri multa siti, & inani tussicula defatigati, perpetuum in osse sterno ardorem perceperunt.

Fere omnibus pauca urina prodiit; multis alvus fuit pertinaciter clausa, quibusdam vero tenesmoidea & fluxilis, atque cum his pejus agebatur.

Morbo hoc jam multum protracto & inveterato nullum fere medicamentum profuit; imo ægri, multis medicamentis divexati, mortem citius oppetierunt.

Si tamen sitis non fuit magna, neque respiratio nimium læsa, neque pulsus admodum parvus & intermittens; si nullæ ex somno subitæ vigiliæ & anxietates observatæ sunt, tunc curationis spes superfuit; & multi sola conserva N°. 22. aut decocto N°. 36. & lenibus frictionibus integre sanati sunt.

Fortia purgantia semper nocuerunt.

Dum conserva N°. 22. aut decoctum N°. 36. nil efficere potuerunt, tunc tentavi vinum N°. 24. atque partes tumidas pannis, decocto eupatorii cannabini

nabini calido (quod anatica parte vin. & aq. fiebat) madidis, involvi curavi.

Vinum hocce per urinam & alvum egregie operatum est, & ægris brevi levamen adtulit, neque vires debilitavit; fomentum vero pastaceos tumores lente dissolvit, dissipavit; atque hac ratione multi pessimi hydropici servati, & curati sunt.

Frictiones curam multum accelerarunt, præsertim si factis frictionibus partes flaccidæ fasciis fumo aromatico impraegnatis fuerunt circumdatæ.

Idem vinum posthac in hydrope ventris optimo cum effectu frequenter exhibui.

Si hydropicorum epidermis hinc inde in vesicas elevatur, si cutis incipit serum acre, fœtidum sudare, aut si penitus rumpitur, & in ulcera abit, malum est.

Si hinc inde plagæ purpureæ aut lividæ oriuntur, tunc plerumque brevi oritur gangræna, & sequitur mors.

Si mediocria evacuantia alvum sufficienter movent, & ægrum non levant, sed debilitant, tunc fortiora numquam tentanda sunt.

Quibuscunque hydropicis hydrops pectoris supervenit, fere lethale est.

Vidi asciticis plurimum conduxisse, si mane & vesperi venter oleo olivarum recenti illinitus, & per $\frac{1}{4}$ aut $\frac{1}{2}$ hor. manu calida probe perfrictus fuit.

Etenim urina inde copiosior prodiit, & alvus quotidie sine remediis soluta est.

Similes tamen frictiones haud conveniunt, ubi ventris moles nimium magna est, & integumenta valde tensa & tenuia, atque respiratio multum difficilis.



ICTERUS.

QUINQUAGINTA & aliquot icterici hoc anno fuerunt in nosocomio.

Unicus mortuus est, qui erat vir 60 annorum, cui, ictero jam in sanationem vergente, febris miliaris supervenit.

Quidam intra paucos dies, quidam vero tardius curati sunt.

Omnes toto corpore profunde flavo colore tincti erant, fœces fuerunt albæ, urina ex fuscoflava, turbida, chartam tingens; appetitus semper deletus, pauci sitim conquesti sunt; pulsus fuit fere semper naturalis, aut lentus.

Tales ægri anxietatem & pondus

circa præcordia perceperunt, hypochondrium dextrum in omnibus magis vel minus induratum, raro autem dolens, deprehensum est.

Cura fuit simplicissima; etenim plurimi horum ægrorum sola mistura N. 11. bis terve assumpta, & sero lactis, pro potu ordinario largiter hausto, optime restituti sunt.

In manibus & facie prima sanationis signa apparuerunt; etenim primo in genis roseus color apparuit, & in manibus color naturalis rediit, dein foeces sensim flavo colore tinctæ sunt, & urina fuit minus fusca.

Qui vero misturam N. 11. assumere non potuere, aut quibus pulsus naturalis paulo celerior fuit, iis mistur. N. 30. magis conduxit; sed tunc necessarium erat omni tertio aut quarto die scrup. ij. aut dr. j. rhei alvum movere.

Quidam solo pulvere ex rhei & salis polychr. aa scrup. j. mane & vesperi exhibito, superbibendo semper seri lactis tepidi unc. IV. vel V. vel VI. &c. brevi tempore ab ictero liberati sunt.

Si Icterus a crudis ingestis, aut nimio in primis viis hærente glutine originem duxit, tunc vomitoria, & remedia digerentia salina plurimum juverunt. Ta-

lis icterus ſæpe ſolo pulvere N. 25. intra 24 horas curatus eſt.

In binis tamen ictericis alia cura requirebatur.

Erat ancilla, quæ profundo ictero jam a multis ſeptimanis laboravit, & propterea diverſis remediis uſa eſt; verum omnia fuerunt fruſtra.

Tandem ictero ſe junxit febris intermittens tertiana, unde ægra multum debilitata ad noſocomium translata fuit.

Paroxyſmum febrilem in noſocomio comitabatur ingens dolor colicus, qui antehac nunquam adfuerat; quique ſub hoc paroxyſmo frequentes Leipothymias produxit.

Ceſſante paroxyſmo ceſſavit quoque dolor colicus, ſed ægra admodum debilis fuit, ſenſim tamen vires redierunt, alterum igitur paroxyſmum adhuc expectavi.

Erat is æque vehemens ac prior, & dolor colicus eodem momento, quo paroxyſmus incepit, magna cum violentia rediit.

Hinc febris nimium vehemens ilico ſuffocari debuit.

Conſerva N. 7. tempore intercalari aſſumpta non tantum febrem fugavit, & dolorem colicum ſuppreſſit, ſed

etiam colorem utericum multum diminuit.

Eandem conſervam ad præcavendam recidivam adhuc ſemel exhibui, & ſub ejus uſu icterus vix non penitus diſparuit.

Solo dein ſero lactis ægra perfectam ſanitatem obtinuit.

Homo, 40 an. ictero peſſimo decubuit, ructus fœtidiſſimos conqueſtus eſt, ſubinde bilem putridiſſimam vomuit, præterea peſſima diarrhæa laboravit; urina fuit turbida, alcalina; fœces nigræ, ſpumantes tetrum odorem ſparſerunt; vires erant penitus proſtratæ, ſitis ingens.

Hoc in caſu præſcripſi medicamentum N. 37. quo copioſe hauſto intra 14. dies æger penitus convaluit.

Alvus nimium fluxilis laud. liq. ſydenh. aliquoties cohiberi debuit.



SCORBUTUS.

Qui leviori ſcorbuto laborarunt, conſerva N. 4. aut N. 5. facile curati ſunt.

In pejori vero gradu dum reſpiratio anheloſa fuit, & membra lento tumore

inflata ſunt, tunc conſerva N. 22. aliquandiu adhibita omnem curam abſolvit.


Si his ſcorbuti ſignis acceſſit ſitis, & pulſus factus eſt celerior, atque hinc inde maculæ purpureæ apparuerunt, tunc conſervis antiſcorbuticis optimo cum effectu admiſta ſunt remedia ſubacida, ut cremor. tart. pulp. tamarind. rob. ſamb. rob. berber. ribeſ. &c.

Dum ulcuſcula, aut maculæ lividæ in ulcuſcula tendentes, aut alia ſigna obſervata oſtenderunt ſanguinem in putridum abire, tunc his conſervis dr. j. vel dr. j. ß. &c. ol. vitriol. aut. ſpirit. ſulph. per camp. addidi. Remedium N. 38. his in circumſtatiis valde efficax fuit.

Omnibus ſcorbuticis ſerum lactis vel ſimplex, vel vinoſum pro potu ordinario datum eſt.

Quorum vaſa & viſcera ab acri ſcorbutico eroduntur, ii fere omnes moriuntur.

Hydrops à peſſimo ſcorbuto productus, lethalis eſt.





SCABIES.

Multi ſcabie affecti in noſocomio detinebantur.

Scabies cruſtoſa, ſicca, ſolo remedio N. 31. plerumque curata eſt; verum totum ægri corpus præterea bis quotidie ſapone veneto in aqua aut lacte ſoluto tepide lavari debuit.

Sub uſu hujus remedii intra breve temporis ſpatium copioſiſſimæ cruſtæ deciderunt, & raro novæ recruduerunt.

Lotio, ex propria urina facta, multum quoque profuit.

Tres ægros fœdiſſima lepra laborantes hoc unico remedio N. 31. & lotione ex ſapone veneto parata perfecte ſanavi. Hi ægri copioſiſſimum ſerum lactis hauſerunt.

Fuerunt tamen quidam ſcabie cruſtoſa affecti, qui remedio N. 31. nequaquam curari potuerunt.

His mane & veſperi unc. ß. ſpiritus frumenti, in cujus libra una ſex grana mercurii ſublim. corroſ. ſoluta ſunt, exhibui, unde intra paucos dies magna

in melius mutatio obſervata fuit, & demum integra ſanitas rediit.

At vero neceſſarium eſt, ut ſimiles ægri ſub uſu hujus medicamenti magnam copiam lactis aqua diluti, aut ſeri lactis, aut decoct. rad. bard. lapath. acut. alth. &c. bibant; præterea requiritur, ut ægri, hoc remedio utentes, pectore firmi ſint.

Hæc ſi non obſerventur, tunc in ſimilibus ægris a ſpiritu frumenti febris incenditur, & ægri in magnum periculum conjiciuntur.

Scabies humida, in qua plurimæ puſtulæ inflammatæ & ſuppurantes conſpiciuntur, ad ſui curationem requirit remedia antiphlogiſtica, ſanguinem diluentia, & acre vel per ſudorem, vel per urinam, aut alvum exterminantia.

Hinc decoctum tamarind. aven. rad. acetoſ. ſcorzoner. cichor. &c. aut alia ſimilia medicamenta plurimum conducunt.

Hæc ſi alvum non ſufficienter movent, tunc neceſſarium eſt, omni ſexto vel octavo die remedium purgans antiphlogiſticum exhibere.

Poſt binas, ternaſve ſeptimanas plerumque talis ſcabies humida evaneſcit;

ſubinde tamen ad omnia rebellis manet, & tunc unguenta mercurialia & ſulphurea adhibenda ſunt.

Balneum badenſe in his circumſtantiis quoque merito laudatur.

Scabies, a fructibus immaturis, & auſteris comeſtis, producta brevi tempore curatur miſtura N°. 11. aut pilulis N°. 33.



ARTHRITIS.

MULTI à frigore ſubito ſuſcepto arthritide plerumque vaga, raro fixa laborarunt.

Si pulſus non multum elevatus & febrilis fuit, tunc ſolis infuſis leniter aromaticis copioſe potatis promovi ſudorem, & hac ratione ſimiles ægros brevi liberavi.

Si vero pulſus fuit durus, multum febrilis, tunc venæ ſectiones iteratæ, & cura antiphlogiſtica inſtitui debuit.

Ii vero, qui in locis humidis ſub terraneis habitarunt, aut in ſimilibus locis, præſertim ventis perviis, per diem ſeſe detinuerunt, ut ſunt ii qui in cellis ſedent, & vina vendunt, aut qui vina acida

austera bibunt, arthritide longe pertinaciori afficiebantur.

Pilulæ N°. 33. aut mistura N°. 11. & infusum lign. sassafr. 3. santal. rad. sarsapar. chin. &c. largiter potata, atque naturalis lecti calor brevi dolores mitigarunt, & similes ægros sensim perfecte restituerunt.

Conserva fumariæ, cochleariæ, nasturtii aquatici, & alia remedia antiscorbutica his in casibus egregios quoque effectus præstant.

Si tamen materies arthritica in unum locum deposita dolorem fixum excitat, tunc cura redditur difficilior.

Nihilominus si nulla febris similem dolorem concomitatur, sique dolor non nimium acutus est, tunc eadem remedia conveniunt, & usu continuato morbum penitus tollunt; præsertim si pars affecta pannis laneis sæpius fricetur.

Si vero dolor est valde acutus, & febris vehemens, tunc sæpe venæ sectiones iteratæ, & fortia purgantia antiphlogistica requiruntur.

Imo si dolor non brevi remittit, tunc vesicans latum & acre loco dolenti debet apponi, & posthac plaga exulcerata diu aperta & fluens servanda est, ut hoc modo materies acris versus exteriora derivetur.

Hoc si negligitur, tunc materies arrodit ligamenta, & in ipsis ossibus pessimam cariem, & lentam mortem producit. Caput ossis femoris in minutissima fragmenta corrosum aliquoties vidi.

Arthritis venerea ab arthritide vera est probe distinguenda, & debet longe aliis remediis curari.



ERYSIPELAS.

TEMPORE autumnali ultra centum foeminas in nosocomio habui, quæ erysipelate faciei divexatæ sunt.

Facies tota fuit difformis, tensa, rubella; tales ægræ quandoque per plures dies ob tumorem palpebrarum nil videre potuerunt, pleræque ardentem faciei dolorem conquerebantur.

Si pulsus fuit multum febrilis & durus (quod raro contigit) tunc opus fuit, venæ sectionibus & remediis antiphlogisticis purgantibus curam inchoare.

Si vero febris non fuit vehemens, tunc remedio N°. 26. aliquandiu continuato, & infuso florum samb. copiose hausto, erysipelas brevi curari potuit.

Externe flores sambuci sacculis insuti,

& continuo calidi locis tumentibus adplicati ſunt.

Hac ratione omnes evaſerunt, neque ullum malum ſuperveniſſe obſervatum eſt.

Plus periculi habet eryſipelas vagum; quoniam loca frequenter mutando nobiliorem vitæ partem occupare poteſt.

Hoc in morbo præter remedium N°. 26. requiritur, ut (ſi vires ferant) omni tertio quartove die purgans antiphlogiſticum exhibeatur; utque tales ægri quotidie tempore veſpertino balneo pedum per horam & ultra inſideant. Præterea per noctem plantæ pedum epiſpaſticis irritari debent, ut eryſipelas verſus inferiora trahatur.

Si locum minus nobilem occupat, tunc nil licet externe adplicare, ne materies aliunde mobilis & volatilis nimis cito ex hoc loco depulſa alium periculoſiorem invadat; affectum tamen locum linteamine tegere convenit, ut ab aëre defendatur.

Vagum tale eryſipelas ſæpe per octo, decem, aut duodecim dies in eodem vigore jam hunc, jam illum locum infeſtat, tandem orto, levi horrore & ſubſequente ſudore, ſubito diſparet.

Hoc facto ægri adhuc per aliquot

dies in continua tranſpiratione & leni ſudore conſervandi ſunt; quod moderato lecti calore, & infuſo flor. ſamp. optime fieri poteſt.

Quandiu eryſipelas ſedem mutat, & vehemens eſt, tandiu ægri nec ſudant, nec multum tranſpirant, cutis plerumque ſicca deprehenditur.

Binos in noſocomio ægros habui, quibus eryſipelas ex brachio pulmonem invaſit.

Febris inde magna orta eſt, & tuſſis continua cum pectoris anxietate.

Venam ilico pro ratione virium pertundi, atque cruribus & nuchæ veſicantia adponi juſſi; dein calidum infuſum flor. ſamb. cum nitro & ſyrup. 5. rad. copioſe ſorbillandum præbui.

Primo adhuc die ſequebatur lenis ſudor, & ægri levamen perceperunt; verum tuſſicula ſicca fuit nimium vehemens & moleſta, unde paregoricis eam mitigare neceſſe erat.

Quarto die prodierunt ſputa bene cocta cum ægrorum levamine, ſeptimo evanuit febris, ceſſavit tuſſis, & omne periculum abſuit.

In alio ægro eryſipelas vagum ſubito cerebrum & meninges occupavit, produxit ferociſſimum delirium, convulſio-

nes, & enormes capitis dolores, ac paulo poſt mors ſupervenit.

Ipſa ſubſtantia corticalis aperto cranio, rubra & inflammata deprehenſa eſt.

Si eryſipelas neglectum, aut perverſe curatum in gangrænam abit, tunc cortex peruvianus interne, & externe exhibitus citam medelam adfert.

Dum epidermis in veſicas attollitur, & jam ſerum tranſudare incipit, tunc exſiccantia & abſorbenta externe adplicata, ut pulvis ad eryſipelas ruber, albus, &c. egregie juvant.



ASTHMA GLUTINOSUM.

ÆTATE confecti magno numero, tempore autumnali, hoc morbo decubuerunt in noſocomio.

Miſturam N°. 9. aut N°. 15. omnibus ab initio exhibui, verum pro majori vel minori ſtimulo, quo ſimiles ægri opus habuerunt, addidi certam quantitatem tincturæ helen. vel. tinct. ſuccin. vel ſal. vol. c. c. ol. ſylv. vel ſpirit. ſal. ammonic. &c. atque his remediis gluten dividere, & impactum mobile reddere conatus ſum.

Si sputa ceperunt prodire, & pulsus factus est liberior, & æqualior, tunc spes erat ægrum evasurum.

Sæpe solis his misturis, aut conserva N°. 6. similes ægri perfecte restituti sunt.

Vesicantia suris & nuchæ adplicata demendo pectoris anxietatem, & sputa promovendo multum profuerunt.

Si tamen glutine sat mobili reddito sputa sufficientia non prodierunt, sique manus, & pedes œdematoso tumore inflati sunt, tunc his misturis omni secundo aut tertio die pulvis purgans hydragogus interponi debuit.

Talis pulvis plerumque magnam glutinis tenacis copiam per alvum eduxit, & respiratio multum emendata fuit. Verum requiritur, ut ægrorum vires adhuc bonæ sint; secus tale purgans mortem accelerat.

Hac ratione pessimos ægros perfrequenter sanavi.

Si vero hac aut simili methodo res in melius verti non potuit, tunc hi ægri aut suffocati, aut apoplectici obierunt.

Si asthmati glutinoso asthma convulsivum supervenit, tunc morbus longe periculosior fuit, & fere omnes subito mortui sunt.



VERMES.

OMNIS generis vermes inter meos ægros obſervavi.

Unicum remedium N°. 32. omnibus exhibui, nullo habito vermium diſcrimine, & omnes, qui alio præter vermes morbo non laborarunt, inde curati ſunt.

Vidi ſæpius infinitos minimos vermiculos hoc remedio prodiiſſe.

Fœmina, 30. annor., hoc remedio aſſumpto vermem latum, album, 31. uln. longum, & alios plures breviores multo cum glutine alvo rejecit.

Et ex puero 10. annor. ſimilis vermis 12. uln. longus ſeceſſit.

Quidam hoc remedio utentes vomitu & alvo lumbricos reddiderunt.



DIARRHÆA.

SI cauſa diarrhææ in primis viis hæret, tunc longe facilius curatur, quam ſi a vitio cujuſdam viſceris, aut maſſa ſanguinea corrupta dependet.

Hinc diarrhæa non levans hydropi-

cis, ſcorbuticis, phthiſicis, &c. ſuperveniens ſemper mala.

Erant multi menſe Octobr. Novembr. & Decembr. in meo noſocomio, qui ex maſſa ſanguinea corrupta diarrhæam habuerunt.

In his ægris obſervavi pulſum lentum, appetitum deletum, ſitim mediocrem, linguam plumbeo glutine obductam, colorem faciei atque totius corporis terreum, borborygmos & ructus putridos, urinam turbidam, fœtidiſſimam, fœces fuſcas, tetrum odorem ſpargentes, reſpirationem lentam, vires dejectas, membra omnia languida, conquaſſata, oculos triſtes.

Leviſſima purgantia ex rheo hos ægros debilitarunt; parva ypecacuanhæ doſis vires adhuc magis dejecit; opiata & adſtringentia cohibuerunt quidem diarrhæam, verum venter intumuit, ægri anxii facti ſunt, & frequenter delirarunt.

Unde enematibus alvus denuo provocari debuit.

Saturatiſſima decocta emollientia, involventia primo de optime prodeſſe videbantur, ſecundo autem vel tertio die aucta eſt diarrhæa, & ægri pejus habuerunt.

Serum lactis, & decocta diluentia, sanguinem purificantia excitarunt tormina, & diarrhæam fecerunt pejorem.

Perpensis omnibus signis conjici poterat, massam sanguineam in his ægris abire in alcali; hinc remediis, alcali in ipsa massa sanguinea destruentibus, agendum fuit.

Atque ideo exhibui misturam N°. 27. & sero lactis (quod pro potu communi dedi) magnam quantitatem spiritus sulph. per camp. admiscui, & tantam syrupi diocodii copiam, quanta ad gratam dulcedinem requirebatur.

Etenim sine syrupo diacod. serum lactis, & spiritus acidus produxerunt dolores colicos, & auxerunt diarrhæam.

Imo id quandoque contigit etiam addito syrupo diacod: unde vesperi semper exhibui dr. j. theriac. Andromach. aut aliquoties per diem pro ratione circumstantiarum dedi gtt. X. vel XII. vel XV. &c. laud. lig. sydenham. donec diarrhæa ad debitum moderamen redacta est; integre eam supprimere non licuit.

Hæc remedia pro morbi & ægrorum ratione copia augeri aut minui debue-

runt, quo contigit, ut continuato eorum usu similes ægri intra decem, vel quatuordecim dies, aut si morbus fuit admodum rebellis, intra tres septimanas integre convaluerint.

Fere omnibus his ægris ab usu horum medicamentorum brevi rediit appetitus, rediit somnus reficiens, oculi facti sunt magis vivaces, increverunt vires.

Tentavi in hoc morbo putrido corticem peruvianum; primis duobus diebus auxit is diarrhæam citra virium notabilem imminutionem, tertio autem quartove die pertinaciter adstrixit alvum, fecit ventrem tumere, excitavit anxietates, nauseam, & vomitus debilitantes.

Si hic morbus fuit perversa methodo tractatus, aut neglectus, aut si ipse morbus adeo malignus, & contra omnia medicamenta fuit rebellis, tunc sensim hinc inde orta sunt ulcuscula, & maculæ lividæ, vires penitus dejectæ sunt, urina reddebatur stranguriosa, alvus fuit frequentior, fœtidissima, ardens, tenesmoidea; supervenerunt frequentes vomitus putridi, noctes insomnes, perpetuum delirium, sitis non extinguenda, tandem convulsiones & mors.

Levis diarrhæa sæpe unica drachma rhei,

tempore matutino data, curari potuit.

Aut ſi purgante opus non fuit, tunc plerumque drachma una DIASCORDII FRACAST: mane & veſperi deglutina, juvit.

Si vero ægri diarrhæa laborantes pondus circa præcordia, appetitum deletum, & nauſeam conqueſti ſunt, tunc pulverem N°. 25. mane exhibui, & veſperi dato opiato ſomnum conciliavi.

Altero die multos a diarrhæa liberos inveni; quibuſdam vero diarrhæa fuit mitior; aliis tamen æque violenta permanſit.

Qui a diarrhæa liberi fuerunt, iis mox rediit magnus appetitus, unde ſummopere cavendum erat, ne in diæta errorem committerent.

Quibus vero diarrhæa mitior fuit, iis adhuc languit appetitus; verum, data mane & veſperi (ſi febris abſuit) drachma una theriacæ ANDROMACHI, brevi ceſſavit diarrhæa, & viguit appetitus.

Dum hi ægri pulſum febrilem habuerunt, & ſitim, tunc theriacam non licuit exhibere; verum emulſum paregoricum magis conducit.

Qui altero die ab aſſumpto pulvere, N°. 25. æque violenta diarrhæa dive-

xati ſunt, iis manſit appetitus cum nauſea deletus.

Hoc igitur die ad vires conſervandas, & ad diarrhæam paululum mitigandam his ægris vel datum eſt emulſum N°. 39. vel miſtura N°. 40.

Tertio autem die tempore matutino hi ægri pulverem N°. 25. denuo aſſumere debuerunt.

Hic pulvis per vomitum, & alvum ſemper egregie operatus eſt.

Rariſſime opus fuit, eum tertia vice exhibere, etenim plerumque jam prima, aut ſecunda doſis vel penitus inhibuit diarrhæam, vel ita mitigavit, ut ſolis paregoricis, & leniter adſtringentibus deinceps percurari potuerit.

Subinde vero factis evacuationibus per rheum aut pulv. N°. 25. aut alia ſimilia medicamenta, in ventriculo, & inteſtinis quædam laxitas obſervata fuit; quo in caſu remed. N°. 2. aut miſtu, N°. 18. alvum facile cohibuerunt, & laxis partibus reddiderunt robur.

Drachma una pulveris lyſimachiæ bis aut ter per diem exhibita his in circumſtantiis quoque diarrhæas pulchre ſedavit. Idem præſtitit cortex ſimaruba.

Ubi factis evacuationibus interplicas inteſtinorum quædam acrimonia fixa

hærens dolores excitavit, & alvi fluxum fecit perſeverare, ibi adſtringentia ſemper nocuerunt.

Medicamenta mucilaginoſa, oleoſa, decocta ſaturatiſſima emollientia, involventia, ut decoct. rad. alth. conſolid. maj. rad. Salab. &c. enemata oleoſa, aut emulſa ſpiſſa ut N°. 19. in ſimilibus caſibus optimam medelam adtulerunt.

Si ſpaſmi & inordinati liquidi nervei motus obſervantur, & præſertim ſi noctes turbatæ ſunt, tunc paregorica ſat magna doſi præbere convenit.

Quibus, tentatis omnibus remediis, nullum levamen adfertur, aut ſi levamen perceptum admodum exiguum eſt, neque durat, ſique ægri vires continuo imminuuntur, & facies collabitur, præſertim ſi pulſus debilis & celerrimus hæc ſymptomata concomitatur; tunc nil boni ſperare licet.

In his enim omnibus ſub finem intumet venter, pulſus intermittit, labia oris fiunt pallida, aut livida, oritur in abdomine gangræna, accedunt convulſiones, extrema ſudore gelido madent, tandem ægri admodum anxii continuo membra, & totum corpus hinc inde jactitant, anhelant, & plerumque dum alvum dimittunt, ſubito moriuntur.

De tussi, phthisi, &c. varia & mira observata collegi, verum ea nunc recensere nolui, quoniam de his morbis, si DEUS OPTIMUS vitam & vires benigne concesserit, paulo amplius scribere cogito.



SECTIONES ANATOMICÆ.

CADAVER PRIMUM.

HOMO quinquagenarius tussi, qua jam 20 annis laboravit, solito magis affectus fertur in nosocomium.

Respiratio erat laboriosa, pulsus inæqualis, naturali celerior, tussis frequens; sputa pauca prodierunt, eaque glutinosa, subflava; materies tamen sputis egerenda ex strepitu inter tussiendum excitato mobilis videbatur.

Mistura N°. 9. huic ægro adeo bene conduxit, ut intra paucos dies sat libere respirans, nec multa tussi vexatus nosocomio vale dixerit.

Per totam æstatem dein bene se habuit; ingruente vero autumnali tempore, & aëris vicissitudine recidivam passus nosocomium repetiit.

Anxie tunc respiravit, tussivit frequenter, sputa tenacia, ex fusco-viridia, magna cum difficultate rejecit; pulsus fuit inæqualis, vires languidæ.

Mistura N°. 9. denuo exhibita parum juvit; qua de causa præter hanc misturam conservam N°. 6. præscripsi, ut alternatim omni hora vel cochleare unum ex mistura vel drachmam unam ex conserva sumeret.

Unde brevi sputa copiosiora & facilia esse ceperunt.

Noctes, ob tussim continuam inquietas, paregoricis vespertinis tranquillas reddidi.

Per plures dies æger ex his remediis ingens levamen percepit, & brevi sibi integram curationem promisit. Verum contigit, ut aëris temperies sicca & calida subito in humidam & frigidam abiverit; unde denuo sublime respiravit, nec ullum sputum reddidit, & tussi inani multum defatigatus totum pectus exsiccatum conquerebatur.

Infusa igitur expectorantia cum oxymelle scillitico & stibio diaphoretico non abluto copiose ingeri jussi, & mane ac vesperi haustum ex ol. lini unc. IV. & grano uno opii tepide exhibui.

Intra tres dies sputa denuo multa, crassa

craſſa & puriformia cum magno ægri levamine prodierunt.

Sputis rite procedentibus ſolo infuſo hederæ terreſtris, & pilulis, ex pulvere glycyrrhizæ & balſamo peruviano confectis, uſus eſt, & omni veſpera paregoricum aſſumpſit.

Ex his vires recuperavit, liberius reſpiravit, & tota die extra lectum eſſe potuit.

Appetitus ſemper magnus fuit, neque ingeſta excitarunt anxietatem, nec obſervatæ ſunt horripilationes veſpertinæ, nec febris, nec ſudor nocturnus, id tantum incommodi conqueſtus eſt æger, quod e ſomno frequenter anxius ſubito evigilet, quodque caput inter tuſſiendum vehementer doleat. Senſim tamen omnia in melius mutata ſunt.

Aſt dum plurimum ſperavit, ſubito incidit in animi deliquium, & mortuus eſt.

Aperto abdomine omentum in fruſta dilaceratum & ſemi-putridum inventum fuit.

Inteſtina tenuia omnia in pelvi latuerunt; inteſtinum colon, in globum convolutum, his incubuit.

Ventriculus, ingentis magnitudinis, ſexdecim libras aquæ facile potuit reci-

pere; hepar ex convexa parte a costis penitus compressum & ad sesqui pollicis profunditatem perfecte cartilaginosum fuit.

Lien durus, fuscus, suo situ pelvim adtigit.

Renes plani, mole parvi, ultimis tribus lumborum vertebris adhæserunt.

Vesica urinaria fuit contractissima.

In thorace deprehendebatur pulmo sinister cum pleura firmissime concretus, totus siccus, friabilis.

Dexter vero erat niger, flaccidus, nigro, grumoso & tenaci sanguine infarctus, pleuræ quoque accretus.

In corde fuerunt magni polypi.

Ablato cranio sub dura matre conspiciebatur copiosum & valde tenax gluten. Lobos medios cerebri in superiore parte ad semi-pollicis profunditatem gangrena destruxit. Ventriculi cerebri erant penitus exsiccati, in rugas contracti.

In toto morbi decursu nullum unquam delirium observatum est.



CADAVER SECUNDUM.

HOMO, 58. an., pessima gangræna ad digitos pedis dextri affectus, & præterea tussi molesta laborans, curandus nobis offertur.

Ut gangrænæ limites ponerentur, præter alia remedia satis larga dosi datus est cortex peruvianus, & partes gangrænosæ saturato ejusdem corticis decocto continuo fovebantur.

Sputa remediis expectorantibus educta sunt.

Hac ratione intra paucos dies gangræna evanuit, & respiratio reddebatur longe liberior, & tussis minus frequens.

Post binas septimanas ægrum jam fere sanatum nova tussis subito corripuit, quæ summa vehementia fecit ilico faciem totam tumere, livere, oculos protuberare, linguam turgere, &c. & intra aliquot minuta, facta unica violentissima inspiratione, miserum enecuit.

Sectio anatomica in abdomine exhibuit omentum admodum breve & tenue, intestina tenuia arctissime contracta, crassa vero naturaliter inflata; hepar sanum.

Lien vero ex utraque parte planus, in circumferentia perfecte rotundus, mole parvus & tenuis, pondere vix unciam habuit.

Ventriculus, parvus, amplitudine vix æquabat cavitatem intestini coli; ejus substantia autem fuit admodum crassa, fortis; plicæ internæ profundæ.

Ren dexter superioribus lumborum vertebris firmissime adnatus erat, sinister vix non totus in pelvi hæsit. Testiculi ambo intra annulos latuerunt.

Ablato sterno & costis detegebatur pulmo totus inflatus, durus, valde elasticus; aër inter membranam pulmones investientem effusus multas diversæ magnitudinis bullas efformavit.

Nulla pressione aër per asperam arteriam expelli potuit; pulmo in frusta dissectus nequaquam collabebatur, & omnia frustra æque inflata & elastica permanserunt.

An aër ruptis bronchiorum finibus universale pulmonis emphysema produxit?

Pericardium aqua limpida, insipida valde distentum reperiebatur; dexter cordis ventriculus, solito multo amplior, ex una parte fere disruptus, multum polyposum & grumosum sanguinem con-

tinuit ; in arteria pulmonali , præternaturaliter in saccum extensa , similis quoque sanguis erat.

Cor sinistrum , & arteria aorta naturalia deprehensa sunt ; venæ autem duræ matris & totius cranii varicosæ & nigro grumoso sanguine infarctæ.

CADAVER TERTIUM.

FŒMINA , 60. aliquot ann. , ultimas fere vitæ horas agens in nostrum nosocomium translata est.

Faciem lividam , & corpus totum maculis subnigris & purpureis variegatum deprehendi.

Respiratio fuit frequens, parva, summe laboriosa ; pulsus minimus, inæqualis , sæpe intermittens.

Tussicula continua vires prostravit , sputum paucum , ichorosum , nigrum , pessime fœtens , os & fauces erosit.

Præ debilitate ægra vix unum alterumve verbum proferre potuit.

Ex signis omnibus manifestum erat , totam sanguinis massam in putridum abiisse , & pulmonem gangræna & sphacelo consumi.

Rogabat ægra , ne in summis suis

miseriis cogeretur multa medicamenta assumere, utque solummodo pro faucium & pectoris ardore syrupus concederetur.

Paratus ei est ideo linctus ex syrup. diacod. mell. rosar. mucilagine seminum cydoniorum & paucis guttis spiritus salis acidi, ut inde sumeret, quantum placeret.

Assumpta una alterave uncia hujus linctus ardor pectoris paululum remisit, & ægra per vices dormivit, id autem semper corpore in anteriora inclinato; alius enim qualiscumque situs inter summas anxietates suffocationem minabatur.

Reliqua vero symptomata manserunt æque mala, imo subinde pejora fiebant; etenim frequenter totum corpus sudor frigidus occupavit, & tunc in extremis evanuit pulsus, & mortis signa imminuerunt; attamen natura luctando vicit sæpius; & post aliquot suspiria rediit pulsus & calor.

Inter lethales has vicissitudines tertio, quo in nosocomio fuit, die obiit.

Omentum erat putredine penitus consumptum, ventriculus parvus, in substantia sua valde crassus, hepar solito majus; cætera in abdomine sana.

Pulmo crusta tenaci, crassa, fusca, glutinosa investiebatur; qua ablata apparuit totus niger, putridus, fœtens; discissus dedit saniem fœtidissimam; præterea per totam pulmonis substantiam tubercula numerosissima diversæ magnitudinis inveniebantur, quorum plurima arrosa, & pro magna parte ichore consumpta fuerunt.

An pulmonis scirrhi in cancros mutati sunt? Pericardium fuit totum nigrum: cordis ventriculi sanguinem dissolutum, & pauca tenuia, polyposa filamenta gerebant.

Massa sanguinea penitus dissoluta, acris & putrida in omnibus vasis reperta est.

CADAVER QUARTUM.

VIR quinquagenarius, a pluribus annis tussi molestissima vexatus & totus emaciatus, in thorace sinistro pondus molestum, & continuum dolorem obtusum conquerebatur; præterea admodum difficulter respiravit; sputa purulenta fœtidissimo ichore mista egessit.

Vesperi calores vagos, & horripilationes sæpius repetentes habuit; noctes

fuerunt anxiæ, vires quotidie imminuebantur; unde sensim vivere desiit.

In abdomine nil, notatu dignum, inventum est.

Pulmo autem dexter flaccidus, subniger & totus fere ulceribus exesus erat. Sinister in unum corpus rotundum, durum, scirrhosum concrevit, & pleuræ firmiter adhæsit, in aquam projectus gravissimi instar lapidis celerrime fundum petiit; ex ea parte, qua pleuram adtigit, ad semi-pollicis profunditatem perfecte cartilagineus fuit: facta incisione binæ, magnæ, callosæ fistulæ detegebantur, quarum una tres largos sinus egit, & altera duos; orificia harum fistularum cartilaginea in ramum majorem asperæ arteriæ hiarunt; in earum cavitatibus acerrima sanies latuit.

Dexter cordis ventriculus, in magnum aneurisma extensus, valde tenuis ac debilis fuit; columnæ carneæ capillum crassitie vix æquabant.

An hic difficilis fuisset cordis ruptura?

In eodem ventriculo hæsit polypus magnus, albus, tenax.

Nullæ cordis palpitationes in hoc ægro observatæ fuerunt.

Pulſus ſemper parvus & inæqualis deprehenſus eſt.

Siniſter cordis ventriculus erat ſanus.

CADAVER QUINTUM.

Fœmina, 52. ann., phthiſi moritur.

Aperto thorace invenitur pulmo ubique adcretus, flaccidus & vomicis innumeris refertus.

In abdomine erat omentum tenuiſſimum, ſemi-putridum. Hepar naturalem figuram & magnitudinem habuit.

Verum in ſubſtantia ſua ſeptem, ſeſqui pollice latos, vere cartilagineos, & ex convexa in concavam hepatis partem penetrantes, cylindros geſſit.

Cæterum totum hepar fuit ſanum; ut & reliqua abdominis contenta.

CADAVER SEXTUM.

Vir, 34. ann., febris tertianæ vernalis paucos paroxyſmos paſſus, ab empirico, dato ignoto remedio, febre liberatur.

Fugata febre incipit languere, amittit appetitum, & tandem gravitatem

atque duritiem cum obtuso dolore in hypochondrio dextro conqueritur.

Post aliquot dies hypochondrium sinistrum quoque obtuse dolere incipit, & durus quoque tumor de die in diem mole increscens advertitur.

Datur igitur ab eodem empirico purgans, quod satis fortiter operatum est.

Binis, a dato purgante, diebus venter, scrotum pedesque intumuerunt.

Tumor quotidie augebatur, atque per universum corpus sese extendit: respiratio fiebat anhelosa, cor, per vices palpitans, ægro diras sæpe anxietates excitavit; pulsus erat intermittens ac debilis; & præterea supervenit frequens leipothymia; vires omni momento minuebantur.

Æger pessimo hoc in statu fertur ad nosocomium.

Periculosissima symptomata vetabant remedia ad morbum debellandum necessaria.

Parabatur jalapium vires refocillans, & leniter diureticum; verum vix bina adhuc cochlearia assumpsit, dum mors accessit.

In abdomine magna aquæ subrubellæ, turbidæ, copia fluctuavit.

Hepar scirrhosum, innumeris granu-

lis duris, flavis, compactum erat.

Veſicula fellea vero continebat liquorem albumini ovorum, quoad conſiſtentiam, colorem & ſaporem ſimillimum; pondus hepatis erat trium lib. & unciæ unius.

Lien ſquamoſus, tenax, mole magnus pondere, quoque tres libras habuit.

In cavitate pectoris fuerunt octo libræ aquæ limpidiſſimæ, inſipidæ.

CADAVER SEPTIMUM.

VIR ſexagenarius ante 5. circiter annos cecidit in poſteriora, & lumbis in lapidem impegit; dolorem, inde natum, non multum curavit, dolentique loco emplaſtrum applicuit; cætera reliquit naturæ.

Per plures dies dolorem ibi acute dolentem, & continuo pulſantem habuit; neminem de conſilio rogavit, ſolo ſuo emplaſtro fretus; tandem dolor acutus remiſit, & manſit quædam ſenſatio ingrata, continuo formicans, rodens & ſubinde urens.

Hanc ſenſationem vir, laboribus aſſuetus & pauper, flocci fecit; emplaſtrum abjecit, & ſudore panem quæſivit.

Elapso circiter medio anno oritur eodem in loco tumor ruber, non admodum dolens; huic emplastrum denuo adposuit, quo facto intra paucos dies tumor rumpebatur, & effluxit copiosus ichor fœtidus cum multis ossium fragmentis.

Ab eo tempore, quo tumor est apertus, uxor curam gessit; & ab initio quotidie diligenter ichorem expressit, & dein emplastrum suum domesticum superimposuit.

Postea vero rem negligere cepit, & solummodo omni biduo, aut triduo maritum suum deligavit; ichor subinde copiosus prodiit, subinde admodum paucus.

Dolor tandem per totum dorsum in diversas partes se extendit, æger frequentes habuit horripilationes, & sæpius per diem in dorso magnum ardorem percepit.

Malum hoc modo tulit absque prudenti auxilio per 5. circiter annos, demum incidit in sudorem nocturnum & tabem.

Hac in miseria constitutus nosocomium adivit.

Facto debito examine:

Optimus Chirurgus HAFFNER, &

ego ad lumborum vertebras fistulam, copioso & fœtido ichore manantem invenimus; æger fuit debilis, totus consumptus.

Symptomata lethalia omnem operationem chirurgicam prohibebant; factæ tamen sunt bis de die injectiones ex infuso herbarum vulnerariarum cum melle & pauca aloë.

Injectiones hæ nobis manifeste indicabant, fistulam per totum dorsum agere sinus; idem ex copia materiæ injectæ, & sensu ægri, & ex adtactu inter injiciendum clare apparuit.

Pro medicamento dabantur pilulæ ex oliban. pulv. glycyrrh. & bals. peruv. superbibendo infusum salv. agrimon. vig. aur. &c.

Præterea solo lacte & jusculis æger nutriebatur.

Alvus fuit admodum immorigera, & omni alterno die enemate provocari debuit; hoc si factum non est, tunc supprimebatur urina, & magno cum dolore inguinum & ventris supra pubem apparuit tumor durus, subrotundus. Educta dein alvo liberrime prodiit urina, & cessarunt dolores.

Id incommodi jam domi suæ habuit, & ideo omni tertio die tempore

matutino infusum fol. sennæ bibit.

Per tres fere septimanas miser in vita conservabatur; primis octo diebus vires paululum augebantur, & mens fuit alacrior, postea vero quotidie omnia pejora fiebant, donec mortuus est.

Stylo exterius introducto fistulam secuimus, & cunctis accurate consideratis, vidimus inter omnes tum dorsi, tum lumborum musculos sinus diversæ amplitudinis & figuræ esse; quidam infra scapulas penetrabant; unus circa quintam costam veram, a superiore numerando, in latere thoracis dextro perforavit muscululum intercostalem, & inter costas & pleuram varios iterum sinus formavit; pleuram tamen non perfodit.

Contenta thoracis & abdominis fuerunt naturalia.

Solum intestinum rectum binis a suo principio digitis in parte dextra extendebatur in saccum membranaceum, intestino cœco haud absimilem. Saccus hicce durissimis scybalis plenus erat. Reliqua intestini recti portio ad anum usque inveniebatur valde crassa, fungosa, & adeo angusta, ut fœces compactæ nullo modo potuerint transire.

CADAVER OCTAVUM.

Fœmina ebria cadendo fronte in durum obstaculum impingit, & paulo post moritur.

Cadavere denudato, præter levem in fronte contusionem, & ventris præter naturalem molem nil deprehensum est.

Ablatis omnibus cranii integumentis, cranium integrum erat.

Remoto cranio inveniebatur ad lobos posteriores cerebri ingens copia sanguinis grumosi, extravasati; sed longe major quantitas similis sanguinis cerebellum totum compressit.

In thorace omnia fuerunt sana.

Aperto abdomine, omentum bonum fuit, & ventriculus naturalis, dissectus autem liquidum continebat, quod ingratissimum acidum fermentationis gas spiravit.

Intestina tenuia aëre multum distendebantur, intestinum cœcum, inflatum & elasticum, tantam cavitatem habuit, ut duodecim libras aquæ facile receperit. Valvula Bauhini, abolita, nullum sui vestigium reliquit. Intestinum colon erat in chordam durissimam contractum

usque ad eam partem, qua flexuram sigmoideam format, & in rectum abit.

Tota hæc flexura in præternaturale volumen extensa diametro spithamam superavit. Hepar sanum fuit.

Vesicula fellea 2 ½. poll. ultra limbum hepatis prominuit, & in sua cavitate 250. calculos piso, mediocris magnitudinis, æquales recondidit.

CADAVER NONUM.

Fœmina, 49. ann., a tribus mensibus ventris hydrope affecta, nullum unquam levamen habuit, licet omnis generis remedia diuretica, purgantia, &c. fuerint tentata, imo vires inde minuebantur, & venter magis increvit.

Conclusi igitur paracentesin abdominis instituere; & hac ratione LX. lib. aquæ limpidæ, insipidæ, & inodoræ eduxi.

Rite peractis omnibus, & ventre debito modo compresso, denuo remedia diuretica lenia, dein fortiora tentavi; verum omnia erant incassum.

Alvus per 6. dies sponte prodiit copiosa; septimo die autem retinebatur, & venter paululum cepit turgere; dato tunc purgante multæ fœces, & copio-

ſa aqua erupit; atvero ægra ne minimum levamen percepit, imo venter in dies notabiliter intumuit; & vires reddebantur minores.

Medicamenta quæcunque, paulo fortius agentia, nocuerunt.

Quapropter, ne ægra nimio medicamentorum uſu perderetur, cura ſolummodo palliativa inſtituenda fuit.

Quatuor à prima operatione ſeptimanis ventris tumor & reliqua ſymptomata ſecundum paracenteſin poſtularunt.

Aqua profluens erat priori copia & qualitate ſimilis.

Ægra poſt operationem nihil omnino mali conqueſta eſt, imo ſe ab onere liberatam gaudebat, & pulſus, qui erat antea parvus & inæqualis, denuo bonus reddebatur; reſpiratio prius anxia fiebat libera; ſputis multum gluten prodiit, vires auctæ ſunt.

Poſthac iterum omnibus ſymptomatibus, quantum fieri potuit, remediis lenioribus occurrebatur. Nihilominus ventris moles denuo increvit, & poſt quinque ſeptimanas ad tertiam operationem deveniendum fuit, qua ſexaginta quatuor libræ aquæ inſipidæ, limpidæ prodierunt; & ægra ingens levamen habuit.

Per quatuordecim dies ægra ſine ventris tumore in optimo ſtatu permanſit; dein vero amiſit appetitum, cepit languere, venter celerrime intumuit, pulſus factus eſt debilis & intermittens, reſpiratio anheloſa, ſuffocativa, extrema frigida. Ægram igitur morti proximam vidi, & quoniam a nullo medicamento inter lethalia hæc ſymptomata auxilium ſperare licuit, decrevi quarta vice paracenteſin inſtituere.

Quod optimo cum eventu factum eſt; etenim ilico ab operatione, moribunda denuo revixit, reſpiravit liberius, pulſus, antea minimus & intermittens, comparuit liber, fortis, æqualis.

Per binos dies cum omnium admiratione mens ægræ admodum alacris fuit, & vires bonæ.

Verum paulo poſt inflabantur pedes, apparuerunt maculæ latæ, lividæ, ſupervenit in pede ſiniſtro gangræna, & intra paucos dies mors ſecuta eſt.

In abdomine reperiebatur aqua turbida, fœtida. Omentum tenuiſſimum, ad fundum ventriculi convolutum; inteſtina tenuia naturalia, colon vero totum contractiſſimum.

Hepar magnitudine pugnum vix æquavit, penitus ſiccum fuit, rotun-

dum, grave, valde durum & iners.

Veſicula fellea, tota exſiccata & rigida, in ſua cavitate calculum albicantem, figuram veſiculæ perfecte referentem, incluſit.

Syſtema igitur bilioſum in hac fœmina erat inutile. Nullum tamen unquam bilis veſtigium in oculis, facie, aut alia corporis parte obſervatum eſt.

Nec olim ictero aut alio morbo laboravit; quod ejus cognati poſt mortem teſtabantur.

Omnia reliqua abdominis & thoracis contenta ſana & naturalia inventa ſunt.

CADAVER DECIMUM.

PUER decennis ex febre acuta reſtitutus & ſanus, eo die, quo noſocomium relinquere, & ſuos parentes denuo voluit adire, ſubito languit, ſumma cum anxietate reſpiravit, continua tuſſicula ſicca, & enormi ſiti vexatus eſt; oculi facti ſunt concavi, triſtes; genæ, & oris labia livere ceperunt; extrema mox gelida, mox urentia deprehenſa ſunt. Pulſus fuit ilico debilis & intermittens; æger tamen mente omnino præſens nulla in parte dolorem conquerebatur. Verum

præ anxietate vix unum alterumve verbum proferre potuit. Venter nec tumuit, nec adtactu durus aut dolens videbatur.

Hinc fas erat concludere, malum in solo pectore, & maxime circa partes vitales hærere. Manu pectori admota percipiebatur cor celerrimo tremulo motu agitari, nunquam autem debito modo contrahi, aut palpitare.

Respiratio pessima, vires penitus prostratæ, pulsus debilissimus, & alia lethalia signa primo statim die spem omnem curationis demebant.

Nihilominus tamen ea, quæ ratio & ars suaserunt, sedulo applicata & exhibita sunt.

Verum, his non obstantibus, malum semper increvit, tertio die æger factus est stertorosus, facies cadaverosa, extrema frigida.

Pulsus vix amplius percipi potuit; respiratio erat rara, minima; exspirantis halitus deterrime fœtuit; tandem totum corpus occupavit sudor frigidus, & adeo tenax, ut tangentis digitos, & lecti linteamina moribundi corpusculo adglutinarit; & eodem die inter anxias luctationes miser obiit.

Aperto thorace, lobus superior tam dextri quam sinistri pulmonis totus ni-

ger, & in liquamen nigrum fœtidumque corruptus reperiebatur.

Reliqui lobi ſani erant, exterius autem cruſta flava, denſa, & $\frac{1}{3}$. poll. craſſa inveſtiebantur, atque pleuræ & diaphragmati mediante hac cruſta adhæſerunt.

Diſſecto pericardio, cor in ſacco coriaceo, flavo, tenaci, ſemi-pollicem craſſo, exterius hirſuto, piloſo, interius glabro, latuit, in utroque cordis ventriculo magni polypi fuerunt; cœteroquin totum cor ſanum fuit.

In abdomine erat omentum admodum breve, & tenuiſſimum; inteſtina omnia naturalia & ſana.

His autem quaſi ſuperfuſa incubuit copioſiſſima materies tenax, cruſtoſa, ſimilis ei, quæ pulmones inveſtivit.

CADAVER UNDECIMUM.

VIR, 36. ann., ex quartana, ab empirico ſubito ſuppreſſa, fit aſciticus.

Sumptis dein, tam a medicis, quam vetulis & empiricis, diverſiſſimis remediis, nullum unquam levamen expertus eſt.

Morti tandem adpropinquans ad noſocomium deportatur.

Pulsus inæqualis, parvus, respiratio sublimis, anxia, sitis magna, vires prostratæ, venter valde tumidus, & durus, &c. curam impossibilem ilico præsagiebant; unde palliative agendum fuit.

Post binos dies ægro paracentesis proponebatur; verum eam sibi fieri recusavit.

Hinc paucos post dies inter medias aquas sitibundus suffocatus est.

Facta in cadavere paracentesi, aqua copiosissima, subflava, insulsa, profluxit.

Dissectis integumentis, inveniebatur omentum fundo ventriculi adpressum & tenuissimum.

Hepar scirrhosum, magnum, pondere $11\frac{3}{4}$. libras civiles habuit. Lien durus & cærulus 5. libras civiles ponderavit.

Intestina omnia naturalia erant, solum colon in chordam contractum repertum est.

CADAVER DUODECIMUM.

Fœmina, 40. aliquot annor., longo jam tempore duritiem & tumorem gravantem in hypochondrio dextro, & in

epigaſtrio advertit, & quoniam magnum inde incommodum non habuit, nullum auxilium quæſivit.

Poſtea vero febre quotidiana prehenſa noſtrum noſocomium adiit.

Decoctum reſolventiſſimum, quod febris nimium impetum infringeret, & naturæ conamen in ſolvendis his tumoribus (ſi eos reſolvere foret poſſibile) adjuvaret, copioſe ingerebatur.

Plures paroxyſmos facile tulit, & febris mitior fuit.

Contigit tamen, ut alio die tempore paroxyſmi in loco tumido & indurato epigaſtrii dolor valde acutus fuerit ortus, unde vires ilico proſternebantur, ſupervenit frequens vomitus bilioſus, ſitis magna, pulſus celerrimus, parvus.

Dolor leviſſimo adtactu fiebat longe intenſior; peſſima igitur inflammationis ſigna ſeſe manifeſtarunt.

Venæ ſectio ob ſummam virium debilitatem celebrari non potuit. Externe cataplaſmata emollientiſſima applicata ſunt. Pro uſu interno emulſum cum pauco nitro, edulcoratum ſyrupo diacod., exhibebatur.

Vomitus inde minus frequens fuit, & ægra poterat juſcula, & infuſa di-

luentia ſine vomitu aſſumere ; imo ſequebatur ſomnus unius horæ.

Verum vires nullo modo reficiebantur ; nulla mutatio, quæ vel minimam ſpem adtuliſſet, obſervata eſt ; e contrario acceſſit anxietas, reſpiratio ſublimis, livor labiorum, faciei pallor, extremorum frigus lethale ; pulſus tangebatur minimus, inæqualis, frequenter intermittens, denique ad finem diei ſecundæ, remittente dolore, omnia ſigna gangrænam præſentem clamabant ; & obiit ægra nocte inſequente.

Omentum deprehendebatur totum ſteatomatoſum, una ſpithama latum, quatuor poll. longum, & quinque poll. craſſum ; ex anteriore parte erat ſphacelo arroſum, pondere quinque libras habuit.

Pancreas, quoque ſteatomatoſum, pondere libras duas paululum exceſſit.

Hepatis lobus dexter fere naturalis fuit ; ſiniſter autem erat colore albus, ſteatomatoſus, ſolito triplo major.

Veſicula fellea materie ſteatomatoſa penitus involuta 130. calculos cavitati ſuæ incluſos geſſit.

Lien totus inflammatus & ſemi-putridus fuit.

Ex

Ex inteſtinis & meſenterio innumera corpora rotunda, ſteatomatoſa, nuces juglandes magnitudine æquantia, extuberarunt.

Meſocolon erat valde magnum, & totum ſteatomatoſum.

CADAVER DECIMUM TERTIUM.

HOMINI, 27. ann. ex pleuritide empyematico, & adeo jam a ſudore nocturno emaciato, ut capilli ceperint defluere, in ſummo ſuffocationis metu paracenteſis thoracis me ſuadente à peritiſſimo mei noſocomii chirurgo HAFFNER inſtituitur, educunturque puris ſubfœtidi, attamen ſat bene colorati, lib. X.

Educto pure ſuffocationis metus diſparuit ilico; verum æger fuit admodum debilis, extrema frigida, pulſus exilis: ſequebatur animi deliquium.

Vino bono auſtriaco, repetitis vicibus cochleatim exhibito, & juſculis vires denuo revocare conabamur; quod effectu non caruit; etenim ſenſim increvit pulſus, & calor naturalis rediit,

Postea dato paregorico ægrum ad somnum composuimus..

Lateri vulnerato incumbenti & dormienti multum puris & sanguinis ex vulnere effluxit.

Nox tota hac ratione tranquilla fuit.

Mane æger bene habuit, pulsus fuit liber, sat fortis, respiratio multum emandata; sitis mediocris, tussis vero molestissima, & non nisi opio moderanda.

In cavitatem thoracis per vulnus mane & vesperi tenui syringa decoctum hordei cum melle & bals. peruv. nigro, vitello ovi soluto injectum est.

Prodiere semper injectiones citra ægri incommodum, mixtæ materia purulenta & sanguine.

Altera a facta paracentesi vespera æger conquerebatur, quod lateri dextro (id est lateri, operatione vulnerato) præ anxietate & suffocationis metu incumbere non possit, quodque in latere sinistro (quod ante operationem erat impossibile) longe tranquillius dormiat.

Symptoma hoc novum ilico nobis triste & suspectum videbatur.

Noctem denuo opiatis quietam reddidimus.

Mane æger ſat lætus erat, pulſum bonum habuit; ſedenti reſpiratio fuit facilis, ſed in dextrum latus decumbenti revertebantur priores moleſtiæ & anxietates.

Nihilominus tamen ea, quæ ad ulcus pleuræ purificandum, atque ſenſim conſolidandum erant neceſſaria, ſedulo continuabantur.

Quarto ab operatione die, factis injectionibus, obſervavimus puris copiam imminui, & ſimul ex vulnere fruſta membranacea prodire.

Res cum ulcere & vulnere ceſſit optime.

De die ægrum diæta leniter nutriente, infuſis vulnerariis, emulſo paregorico, & linctu pectus, a tuſſi ſicca defatigatum, humectante, conſervare, & reficere ſumus conati.

Noctes vero paregoricis, & opiatis quietas reddere jam non amplius fuit poſſibile; etenim quamvis æger tranquille cepit dormire, paulo poſt tamen derepente evigilavit totus anxius, fere ſuffocatus, & dirum cordis tremorem conquerens.

Ex peſſimis ſignis clare patebat, in cavitate thoracis ſiniſtra hærere quoque humorem effuſum.

Proponebatur ideo viribus paululum refectis, sexto ab operatione die, paracentesis lateris sinistri, verum æger mori maluit, quam dubiam operationem subire. Hac ex parte igitur fato suo relictus est.

Ulceri vero & vulneri pro viribus succurrebatur.

Nono die per vulnus in thoracis cavitatem injiciendo advertebatur, pulmonem loco, prius exulcerato, sensim adcrescere.

Æger per diem extra lectum in sedili quiescens, aut lateri sinistro incumbens belle se habuit, appetiit, non sitivit, vires longe majores sensit; verumtamen pulsus subinde inæqualis & intermittens fuit, respiratio solito difficilior, tussis frequens, sicca.

Noctes fuerunt semper anxiæ, turbatæ, suffocationem minitantes; præterea sudor copiosus nocturnus ægrum debilitavit; verum sudori huic saturatum salviæ infusum brevi limites posuit.

Undecimo a boperatione die, consolidato fere ulcere, jam de sanando vulnere cogitavimus.

Toto undecimo die æger lætus fuit, & nil omnino conquestus est; hora oc-

tava vespertina hilari mente sese ad somnum composuit, & placide cepit dormire

Verum post aliquot minuta subito evigilavit, violente corpus erexit, ore aperto & facie tumida, livida, aërem quæsivit, tandem extremis friguit, & anxius cessavit vivere.

Caute aperto thorace invenimus cavitatem sinistram aqua limpida penitus repletam, distentam; pulmonis sinistri autem loco vidimus corpus rotundum, durum, colore cæruleum, magnitudine pugnum virilem vix adæquans; discissum hoc corpus penitus exsuccum, tenax & coriaceum fuit.

In cavitate dextra reperiebatur pulmo hinc inde leviter accretus, cœteroquin vero integer & sanus.

Plaga ulceris, quæ spithamam fere longa, & lata erat, tenuissima subrubella membranula obducta videbatur, exceptis iis locis, ubi pulmo adhæsit.

Pericardium quoque aqua limpidissima plenum, & solito longe majus inventum est.

Cor autem sanum in suis cavitatibus nec sanguinem nec polypos habuit.

Ventriculi cerebri præternaturalem quoque lymphæ copiam continebant.

Si nullum vitium in thorace sinistro latuisset, hicce æger certo certius paracentesi fuisset salvatus.

In aliis tamen binis ægris, facta hac operatione, longe feliciores fuimus: uni idem chirurgus HAFFNER magnam boni puris copiam eduxit, & intra sexdecim dies eum integre restituit.

In altero autem ægro longiore tempore opus habuimus; etenim erat is totus emaciatus, & humores erant acres, scorbutici.

Pus operatione prodiit fœtidum, valde copiosum; costa ultima vera lateris dextri, penitus cariosa, abiit in numerosa fragmenta, & sensim totum ejus corpus, relictis solummodo extremis, excidit.

Vulneri, arte chirurgica facto, sese pulmo magna vi intrusit, qui colore niger & omnino gangrænosus fuit.

Diuturno tamen usu conservæ N. 7, & lacte, & sero lactis copiose hausto, magna pulmonis frusta separata sunt, injectionibus & remediis chirurgicis vulnus rite consolidatum fuit, & intra quatuor menses æger (quod nobis magno solatio fuit) vires & sanitatem recuperavit.

CADAVER DECIMUM QUARTUM.

Fœmina quadragenaria biennio abhinc, onus ex tergo geſtans, cecidit in anteriora, & ab eo momento ſæpius cordis palpitationes, atque dolorem, in anteriore & poſteriore parte thoracis ſiniſtri pulſantem, advertit, neque onus ullum amplius portare, neque ſcalas citra ſummam anxietatem & cordis palpitationem aſcendere potuit.

Dum cor palpitabat, ſentiebatur ſimul in hypocondrio ſiniſtro & circa 4. 5. 6. coſtas, ab inferioribus numerando, in eodem latere duobus aut tribus digitis a ſpina dorſi pulſatio ingrata, dolens & thoracem anguſtans.

His in circumſtantiis, ægra binis vicibus ſibi ſanguinem e vena miſit, & unico purgante primas vias exoneravit; cætera reliquit naturæ. Poſt unam alteramve ſeptimanam acceſſit tuſſicula ſicca.

Elapſo tandem integro anno eum ad locum, ubi in parte poſteriori thoracis pulſatio percipiebatur, adparuit tuberculum molle, quod pulſando pulſui arteriæ & cordis palpitationi perfecte

respondit, tuncque ad omnes tempestatis vicissitudines majores dolores, & anxietates oriebantur.

Diversissima remedia, dein exhibita, nullum levamen adtulerunt, imo malum in dies increvit adeo, ut misera ad nullum amplius munus apta, nostrum nosocomium debuerit adire.

Tumorem ex posteriore parte thoracis pulsantem ovo gallinaceo paulo majorem tunc deprehendimus, atque ex omnibus rite perpensis aneurisma esse conclusimus.

Ægra appetitum bonum semper habuit, neque ab ingestis multum angebatur; tussi sputa purulenta, fœtida rejecit.

Toto die pulsus sat æqualis & liber fuit; neque unquam intermisit; omni autem vespera accessit febris, calor, anxietas & tussis longe violentior, sicca; unde noctes fuerunt inquietæ; atque præterea ægra sudore nocturno copioso, ingrate olente multum defatigata est.

Pulsus fuit subinde nimium fortis, plenus, celer, & palpitationes atque anxietates adauxit, unde venæ sectionibus & remediis saponaceis, nitrosis, subacidis compesci debuit.

Sputa oxymelle simplici, scillitico,

ſtib. diaph. non abl. &c. inciſa, & educta ſunt.

Dum noctes fuerunt inſomnes, aut dum nimiæ cordis palpitationes ægram vehementer divexarunt, tunc opium exhibitum magnum ſemper levamen adtulit; attamen opii doſis ſenſim multum augeri debuit.

Quandoque per plures dies nullæ omnino cordis palpitationes advertebantur, & tunc tumor aneuriſmaticus longe minor & mollior fuit; poſtea vero priores calamitates citra manifeſtam cauſam ſubito magna cum violentia rediere, & mox tumor iterum increvit.

Hæ tamen viciſſitudines minus lethales fuiſſent, ſi vires febre veſpertina, & ſudore nocturno non fuiſſent conſumptæ; unde ægra ſputum amplius proferre non potuit, & anxie ſuffocata eſt.

Octo diebus ante mortem cordis palpitationes penitus ceſſarunt, & tumor aneuriſmaticus fere totus diſparuit, neque amplius pulſavit; ita quidem, ut ii, qui ægram antehac non viderunt, nullo modo crediderint latere aneuriſma.

In pulſu nulla unquam intermiſſio obſervata fuit.

Aperto thorace vidimus pulmonem

crassa, gelatinosa crusta circumdatum; præterea in ipsa substantia numerosæ vomicæ, & multa ulcera reperta sunt.

Aspera arteria pure crasso, tenaci plena fuit, & pericardium aqua multum distendebatur.

Cor in utroque ventriculo magnos polypos habuit.

Arteria aorta a suo ex corde principio usque ad finem curvaturæ erat præternaturaliter dilatata, & valde aneurismatica, dein vero descendens circa 4. 5. 6. costas lateris sinistri, ab inferioribus numerando, abiit in saccum magnum, costis & partibus vicinis adhærentem.

Saccus hic intra 4. & 5. costam penetravit, & exterius in dorso tumorem, vivente ægra pulsantem, effecit.

Costa quinta inveniebatur penitus diffracta, costæ autem vicinæ, ut & vertebræ cariosæ, & saccus aneurismaticus grumoso & polyposo sanguine infarctus.

Supra hunc saccum arteria aorta binis in locis per totum circulum perfecte cartilaginosa fuit.

CADAVER DECIMUM QUINTUM.

FOEMINA, 39. annorum, hydrope ventris, tuſſi ſicca, frequenti, & magna pectoris anxietate affecta noſocomium ingreditur.

Enormis ventris moles, & reſpiratio inde ſuffocativa paracenteſin ilico exigebant; qua facta, 60. libræ aquæ ſubrubellæ, glutinoſæ effluxerunt.

Imminuta ventris mole, reſpiratio fuit facilior, pulſus liberior; ſed manſit tuſſicula ſicca, frequens, & acceſſit id incommodi (quod ante operationem non obſervabatur) quod nimirum in latus ſiniſtrum citra ſuffocationis metum decumbere non potuerit.

Signis & circumſtantiis rite examinatis, nil ſuppurati in pectore ſe manifeſtavit; unde aqua effuſa conjiciebatur, quoniam obſcuræ fluctuationis ſigna ſimul aderant.

Timor ægræ, & vires (licet poſt abdominis perforationem pauliſper increverint) adhuc debiles non admiſere pectoris paracenteſin.

Abdomen per 14. dies manſit parvum, naturale; verum duri & inæquales tu-

mores tam in epigastrio, quam in hypogastrio dextro advertebantur.

Remedia solventissima & emollientia, alvum & urinam leniter moventia, tunc sedulo data sunt, quæ quidem circa pectus levamen attulere, & auxerunt vires; nihilominus tamen venter sensim iterum tumere cepit.

Fortiora diuretica tunc in usum vocata non moverunt urinam, & majores denuo pectoris anxietates excitarunt.

Pulv. cornach. omni tertio die ad dr. I. datus cum euphoria aliquoties movit alvum; reliqua autem purgantia vel vires prostraverunt, vel præter anxietates fecerunt nihil.

Hac methodo ægra per binos menses conservata fuit, dein vero ingruente tempore pluvioso derepente mortua est.

In abdominis cavitate magna effusi seri copia fluctuavit.

Hepar fuit totum scirrhosum, pars ejusdem sinistra, ad fundum ventriculi in farciminosum tumorem extensa, pergebat usque ad lienem & cum eo in unum continuum concrevit.

Lien, ventriculus & intestina fuerunt sana; solum colon contractum reperiebatur.

Ovarium dextrum duos magnos ro-

tundos tumores, materie purulenta plenos, efformavit, uterus & ovarium sinistrum in naturali statu fuerunt.

Pectoris cavitas dextra fuit aqua limpida impleta, sinistra vacua; pulmo sinister sanissimus; dexter quoque sanus & in lobos suos rite divisus, sed mole & figura simillimus pulmoni infantis unius anni.

CADAVER DECIMUM SEXTUM.

Homo, 49. ann., mense octob. 1758. ascite, & pessima anasarca laborans solo vino scillitico N°. 23. curatus est, ita quidem, ut tumor omnis disparuerit, redierintque vires; sed ad fundum ventriculi mansit quædam durities immobilis, ad quam dispellendam remedia maxime solventia sunt adhibita.

Verum æger, multarum prolium pater, quoniam ab hac duritie nullum incommodum sensit, & vires satis bonas habuit, renuebat amplius in nosocomio manere.

Domi suæ lucrando pani intentus medicamenta neglexit, quo factum est,

ut post paucas septimanas prior morbus ceperit reverti.

His in miseriis denuo nosocomium repetiit.

Datum vinum scilliticum non profuit, purgantia debilitarunt vires, & licet magnam liquidi copiam eduxerint, ventris tamen molem non mutarunt; sed, quod pejus erat, eam quandoque adauxerunt.

Urina nullo remedio moveri potuit; imo quo fortius diureticum est exhibitum, eo minor urinæ copia profluxit, & orta est stranguria.

Unde paracentesis institui debuit, qua LXXX. lib. aquæ crassæ, rubræ, prodierunt.

Evacuato ventre, tangebatur in epigastrio tumor durus longe major, quam post curatum hydropem mense octobri.

Externe tunc apposita sunt fomenta emollientia, discutientia, interne datum est vinum scilliticum cum sale polychresto, terra foliata tartari, &c. verum sine effectu.

Intra paucos dies venter iterum tumere videbatur; æger tamen appetiit; remedia purgantia vires diminuerunt citra ullum levamen.

Solventia & fortia diuretica optatum finem quoque non adtigere.

Quarta a prima operatione septimana ventris moles, & anxia respiratio alteram paracentesin postulabant.

Aquæ æductæ copia erat æque magna, ac in prima operatione.

Tentata posthac diversissima remedia solventia, diuretica, purgantia ægrum nullo modo allevarunt, & produxerunt anxietates.

Solum vinum N°. 34. movendo alvum, & urinam paulo copiosius pellendo, ægro maxime conduxit.

Nihilominus tamen post quatuor circiter septimanas ad tertiam paracentesin deveniendum erat, idque in eodem ægro, interposito semper temporis spatio quatuor circiter septimanarum, octo vicibus fieri debuit. Post quamlibet paracentesin advertebatur durities volumine multo major, atque sensim infra umbilicum se extendit.

Æger stare non potuit ob ingratum hujus duritiei pondus, & inde supervenientes dolores, anxietates, animi deliquia.

Appetitus mansit semper bonus, vires tamen fuerunt mediocres, sitis subinde pauca, subinde magna, subinde

vero nulla observabatur; corpus sensim emaciatum est.

Post septimam paracentesin æger per 14. dies citra notabilem ventris intumescentiam bene se habuit; dein vero venter longe citius increvit, & accessit horror, febrisque vespertina, & tussis, & sudor nocturnus, vires evanuerunt, & appetitus; atque ideo octavam paracentesin non amplius instituere licuisset, nisi suffocatio, omni momento ex enormi ventris mole & anxietate timenda, palliativum, anceps, & audax remedium postulasset.

Hac operatione 100. libræ aquæ turbidæ prodierunt, & æger ilico melius habuit, longe liberius respiravit, appetiit denuo; siti autem magna & continua posthac vexatus est.

Vesperi semper rediit febris cum tussi molesta & sudore defatigante; unde æger totus depastus decimo ab octava paracentesi die ex virium defectu obiit.

Ablatis prudenter ventris integumentis repertum est omentum ad pelvim usque extensum formans crassum, tenacem, membranaceum saccum, cujus pars anterior undequaque peritonæo firmissime adhæsit, posterior hinc inde cum intestinis concrevit.

Inteſtina fuerunt penitus compreſſa, contracta.

In cavitate abdominis nulla aqua fuit.

Diſciſſo ſacco effluxit aqua copioſa, rubra, fœtida; dein in eodem ſacco tumor ſteatomatoſus, figuræ irregularis, & 22. libras civiles ponderans, latuit.

Renes erant adplanati, pallidi.

Hepar ſanum; lien & ventriculus naturales; pulmones compreſſi, flaccidi.

In utroque thoracis cavo multum ſerum deprehenſum eſt.

CADAVER DECIMUM SEPTIMUM.

FOEMINA, a tribus ſeptimanis peſſimo ictero affecta, tandem moribunda fertur in noſocomium, & ſpatio unius horæ moritur.

Non tantum cutis totius corporis profunde flava erat, ſed & ungues, oculi, oris labia, palatum, & lingua eodem colore tincta conſpiciebantur.

Sectione anatomica nulla pars membranacea, nulla vena aut arteria, nul-


lum in quacumque cavitate latitans viscus detectum est, quod non fuisset croceo colore tinctum. Ipsum cor, corticalis cerebri substantia, & serum, in cavitatibus cerebri repertum, eundem colorem habuerunt.

Cartilagines & omnia ossa, tam in superficie externa, quam in ipso meditullio flava fuerunt.

Sanguis erat dissolutus, fuscus.

In hepate & vesicula fellea præter colorem præternaturalem nil accusari potuit, in ductu autem cystico calculus inæqualis, valde durus, scrupulum unum pondere paululum excedens, adeo pertinaciter impactus hæsit, ut nulla vi antrorsum, postrorsumve premi potuerit; sectione debebat extricari. In cavitate vesiculæ felleæ fuit pauca bilis, eaque lenta, granulosa.

Tantillus igitur calculus tot calamitatum & mortis causa?



CADAVER DECIMUM OCTAVUM.

FŒMINA, 36. annorum, dum nosocomium intravit, debilis fuit, sputa fœtida, purulenta rejecit; noctu febre depascente, & copioso, fœtidoque sudore defatigata est.

Ventrem tunc inveni tumidum, aqua plenum; in regione umbilici tangebatur moles magna, rotunda, subdura; in epigastrio latuit corpus durum, elasticum, quod intropressum resiliendo strepitum excitavit.

Ægra ab omnibus cibis abhorruit; si bina ternave alimenti cochlearia ei ingesta sunt, anxia facta est, & sensim molesto vomitu plurimam partem reddidit.

Pulsus fuit valde debilis, inæqualis, & totum corpus maculis lividis, scorbuticis variegatum.

Alvus immorigera enematibus nullo modo promoveri potuit, etenim ea vix injecta mox prodierunt iterum, & magnos ægræ dolores excitavere.

Pessima symptomata ilico edocebant: vitam hujus ægræ plurimum periclitari.

Ut tamen ex arte negligeretur nihil, utque pulmoni, ventri tumido, & dispositioni scorbuticæ paulisper iretur obviam, præscripsi sequens remedium:

℞. pulv. rad. jalap.
sal. polychr. aa. dr. j.
conserv. nast. aq.
oxymell. scillit. aa. unc. ij.
M

S. sumat ægra omni trihorio parvum cochleare, & superbibat tria cochlearia jusculi vitulini.

Ægra hoc medicamentum, & jusculum retinuit, & magnum inde levamen advertit: nam sputa ilico fuerunt faciliora, & tanta urinæ copia profluxit, ut intra binos dies venter ab aqua penitus liber fuerit.

Alvus autem admodum pauca, eaque glutinosa & multum fœtida educta est.

Reliqua in priori statu permanserunt.

Nihilominus vis vitæ sensim desiit, & ægra succubuit.

Pulmonem deprehendimus totum corruptum & plenum fœtidissimis ulceribus.

In medio abdomine hæserunt intestina tam tenuia, quam crassa in unum globum coalita, maculis livescentibus, & purpureis undequaque variegata, semi-putrida.

Ventriculus, mole parvus, & in parte convexa omnino cartilagineus, in parte concava verum lardum, duos pollices crassum, gessit; cavitas vix ovum gallinaceum recepit.

Hepar magnum fuit; lien colore cæruleus; renes parvi, tenues, pallidi.

Sanguis autem hujus cadaveris erat dissolutus & valde acer; etenim præstantissimus nosocomii civici chirurgus FERDINANDUS LEBER (quo omnibus in rebus familiarissime utor) huic sectioni interfuit, & secando sibi digitum læsit; mox summum ardorem percepit, & vulnusculum brevi abiit in ulcus, quod per plures menses acri ichore manavit, & nullis fere medicamentis obedivit.

CADAVER DECIMUM NONUM.

VIR, triginta aliquot annorum, a longo tempore sputa copiosa, purulenta egessit, & sensim emaciatus vires amisit.

Præterea conquestus est, quod in latere sinistro citra summam anxietatem & suffocationis metum decumbere non possit.

Medicamenta quæcumque ex arte indicata & exhibita parum juverunt, æger igitur mortuus eſt.

Sectione anatomica detegebatur in cavitate thoracis dextra ſaccus tenuis, pellucidus, membranaceus, pulmoni incumbens, & fundo ſuo cohærens cum pleura.

Huic ſacco libræ octo aquæ ſubflavæ, inſipidæ, includebantur.

Bronchia aſperæ arteriæ plena erant materie purulenta.

CADAVER VIGESIMUM.

FŒMINA, 28. annorum, a multis annis id incommodi habuit, quod fere quotidie una alterave a prandio hora magnam alimentorum partem, & multum gluten evomuerit.

Remedia exhibita vomitum quandoque per unam, quandoque per binas & plures ſeptimanas inhibuerunt; dein autem idem malum denuo rediit.

Tandem vomitus longe frequentior factus eſt, & ægra fere omnia ingeſta, ſubinde cruda, ſubinde ſemi-cocta ejecit; unde cepit languere, & emaciari.

Enemata injecta præter paucum glu-

ten eduxerunt nihil, & ægræ vires diminuerunt.

Remedia incidentia, resolventia, purgantia auxerunt vomitum; paregorica produxere anxietates.

Ægra nullibi doluit; nec adtactu externo quid duri percipi potuit.

Demum misera contabuit, & cessit fato.

Viscera omnia naturalia & sana reperta sunt; solus pylorus erat valde crassus & perfecte cartilagineus; ductus e ventriculo ad duodenum fuit adeo angustus, ut tenuissimus ferreus stylus vix potuerit transprimi.



FORMULÆ

IN NOSOCOMIO USITATÆ.

1) ℞. Claret. fact. ex conserv. fl. cord. lib. j.
Syrup. diacod. unc. 1. ß.
Spirit. sulph. per camp. q. s. ad grat.

M. S. *Sumat æger omni trihorio duo cochlearia.*

2) ℞. pulv. rad. torment.
— cort. peruv.
— lap. cancr. aa. dr. j.
Theriac. Andromach. dr. j. ß.
Syrup. diacod. unc. j.

M. S. *Sumat æger quinquies de die parvum cochleare.*

3) ℞. pulv. rad. helen. dr. j.
— cort. peruv. dr. iij.
conserv. menth. unc. ij.
syrup. menth. unc. j. ß.

M. S. *Omni trihorio sumat æger drachmam unam.*

4) ℞. sal. polychr. dr. j.
conserv. nast. aq. unc. v.

M. S. *Sumat æger ter de die unc. ß.*

5) ℞. sal. polychr.
pulv. rad. jalap. aa. dr. j.

conserv.

conserv. nast. aq. unc. iv.
syrup. fumar. unc. j.

M. S. *Usus ut prioris.*

6) ℞. Stib. diaph. n. abl. dr. j. ß.
kerm. mineral. gr. xv.
m. f. pulv. subtilissimus, cui exacte miscendo adde
conserv. nast. aq.
— cochlear. aa. unc. ij. ß.

M. S. *Sumat æger omni bihorio parvum cochleare.*

Conservæ antiscorbuticæ debent esse succulentæ & acres. Sunt pharmacopæi, qui has herbas multum contundunt, liquidum abjiciunt, & mera scleta inertia & inutilia conservant. Magnam laudem debeo *expertissimo ac vigilantissimo Domino Adamo Offermanns*, Chemico & Pharmacopæo ad S. Spiritum, qui non tantum has conservas, sed & reliqua medicamenta, summa cum diligentia & attentione pro ægris nosocomii curavit parari.

7) ℞. Sal. polychr. dr. j. ß.
cort. peruv. unc. ß.
conserv. nast. aq. unc. iv.
syrup. card. bened. unc. j. ß.

M. S. *Absumatur tempore apyrexiæ.*

8) ℞. Camph. gr. xv.
ſem. melon. unc. iij.
f. c. aq. hord. emulſ.
colat. lib. j. ß.
adde
ſyrup. papav. alb. unc. j. ß.

M. S. *Exhibeantur omni trihorio unciæ binæ.*

9) Stib. diaph. n. abl. dr. j. ß.
oxymell. ſcillit. unc. ij.
aq. fænic. unc. viij.

M. S. *Sumatur omni hora cochleare unum.*

10) ℞. Sal. polychr. dr. ß.
ſyrup. rub. id. unc. ij.
rob. ribeſ. unc. j. ß.
acet. vin. unc. j.
vin. bon. auſtr. unc. ij.
decoct. hord. lib. ij.

M. S. *Sumat æger quater de die unc. iij.*

11) ℞. Sapon. venet. unc. ß.
ſolv. in aq. fumar. lib. j.
dein adde
ſyrup. fumar. unc. ij.
rhei elect. dr. j. ß.

M. S. *Dentur omni bihorio duo cochlearia.*

12) ℞. Spirit. ſal. ammon. dr. j.
acet. rut. q. ſ. ut fiat perfecta

ſaturatio,

aq. rut. unc. iij.

Syrup. gran. kerm. unc. j.

M. *S. Sumatur omni bihorio cochleare unum.*

13) ℞. terr. fol. tart. dr. ij.

oxymell. ſcillit. unc. vj.

aq. fænic.

— petroſel.

— bacc. junip.

— gramin. aa. unc. iv.

M. *S. Sumatur omni trihorio binæ unciæ.*

14) ℞. Camph. gr. xx.

mucilag. gum. tragac. dr. ij.

miſtis & in mort. vitr. diu tritis, adde, miſcendo,

ſyrup. fl. rhead. unc. j. ß.

aq. fl. ſamb. lib. j.

nitr. antimon. dr. ß.

S. *Sumatur omni bihorio cochlear unum. Camphoræ quantitas poteſt pro ratione augeri vel minui. Camphora cum mucilagine bene conquaſſata nunquam ſupernatat, & partem ſuæ graveolentiæ amittit. Si quædam guttulæ liq. anod. mineral. addantur, tunc grata redditur miſtura. Fortius adhuc ligatur camphora, ſi aliquandiu cum æquali copia gum. traga. in mort. vitr. teritur, & dein terendo ſolvitur mucilagine.*

15) ℞. gum. ammon. acet. ſcillit.
ſolut. dr. ij.
oxymell. ſcillit. unc. ij.
aq. majoran.
— hyſſop. aa. unc. iij.

M. S. *Sumantur omni trihorio duo cochlearia.*

16) ℞. Cort. peruv. unc. j.
ſyrup. fl. chamom. unc. ij.
aq. fl. chamom. lib. j.
vin. bon. auſtr. unc. j. ß.

M. S. *Sumatur omni hora cochlear unum.*

17) ℞. Sal. polychr. dr. ß.
— ammon. ſcrup. j.
Syrup. fl. chamom. unc. j.
aq. fl. chamom. unc. viij.
tinct. cort. peruv. dr. ij.

M. S. *Abſumatur tempore apyrexiæ.*

18) ℞. Syrup. diacod. unc. j.
ap. fl. rhæad. unc. viij.
tinct. terr. catech. dr. j. ß.
laud. liq. ſydenh. gtt. xx.

M. S. *Sumatur omni hora vel omni ſemihora cochlear unum.*

19. ℞. Sem. melon. unc. iij.
— cydon. unc. ß.
f. c. aq. hord. emulſ.

colat. lib. j. ß.
adde
bol. armen. unc. j.
syrup. diacod. unc. ij.

M. S. *Sumatur omni hora duo cochlearia.*

20) ℞. fol. salv. m. ij.
conscist. infund. s. q. ac ferv.
per ½ hor. colat. lib. j.
adde
syrup. salv. unc. ij.

M. S. *Sumatur mane & vesperi pars dimidia calide.*

21) ℞. Rad. gent. dr. ij.
— helen. dr. j ß.
sal. absinth.
— polychr. aa. dr. j.
m. f. pulv.

S. *Sumatur quater de die dr. ß.*

22) ℞. pulv. rad. helen. dr. j.
— — jalap. dr. ij.
sal. ammon. dr. j. ß.
conserv. nast. aq. unc. v.
syrup. de spin. cerv. unc. j. ß.

M. S. *Detur omni bihorio dr. j.*

23) ℞. scill. recent. dr. vj.
pulv. cort. cinnamom.

— — winteran. aa. unc. ß.
— rad. helen. dr. j.
vin. bon. austr. lib. j. ß.
m. f. l. a. vin. medicat.

S. *Sumat aeger omni trihorio cochleare unum, sensim augendo dosin; si aegri citra vomitum hoc vinum assumere non possunt, tunc admiscentur*
syrup. foenic. unc. iij.
spirit. nit. dulc. dr. ij.
— menth. dr. j.

24) ℞. fol. absinth.
— eupat. cannab. aa. unc. j.
consciss. affund.
vin. bon. austr. lib. iij.

Dein relinq. vase clauso in fervid. digest. per 2 horas, colaturam posthac leviter expressam exhibe.

S. *Usus ut prioris.*

Huic vino saepe optimo cum effectu, pro ratione circumstantiarum, additur
tinct. milleped. unc. j. vel unc. j. ß.
aut unc. ij.

Vel additur magna quantitas oxymellis scillitici.

25) ℞. rhei. elect.
ypecacuanh. aa. gr. xxv.
m. f. pulv. pro unica dosi.

26) ℞ rob. samb. unc. iv.
sal. polychr. dr. j.

M. S. *Sumat æger quater per diem unc. ß. superbibendo singula vice unc. vj. infus. fl. samb.*

27.) ℞. aq. fl. rhæad. lib. j.
syrup. diacod. unc. ij. ß.
spirit. sulph. per camp. dr. j.

M. S. *Sumatur omni bihorio vel trihorio cochleare unum.*

28) ℞. lact. recent. lib. iv.
vin. austr. unc. viij.

Bulliant simul per momentum, dein colostro lactis per colaturam ablato, serum albumine ovorum purifica, & pro potu ordinario exhibe.

29) ℞. sal. polychr. scrup. ij.
— ammon. scrup. j.
m. f. pulv.

S. *Sumatur his vel ter per diem talis pulvis superbibendo duo vascula infusi fl. chamon. vel herb. cent. min. aut. trifol. fibr. etc.*

30) ℞. sal. polychr. dr. iij.
syrup. fumar. unc. ij. ß.
aq. fumar. lib. j.

M. S. *Dentur omni trihorio cochlearia duo.*

31) ℞. Sal. polychr. dr. j.
pulv. rad. jalap. dr. j. ß.
conſerv. naſt. aq.
— fumar. aa. unc. ij.
ſyrup. de eryſim. unc. j.

M. S. *Sumat æger omni bihorio parvum cochleare.*

32) ℞. ſal. polychr.
pulv. rap. jalap.
— — valerian. ſive phu. aa. dr. j.
oxymell. ſcillit. unc. iv.

M. S. *Exhibeatur adultis quater per diem unc. ß. junioribus vero dr. j. aut. dr. ij.*

33) ℞. Sapon. venet.
rhei. elect. aa. dr. ij.
gum. ammon. dr. j. ß.
ſal. polychr. dr. ß.
Balſ. peruv. q. ſ.
m. f. pil. gr. iij.

S. *Sumat æger quater de die pilulas quatuor, & ſingula vice ſuperbibat unc. vj. infuſ. herb. fumar.*

34) ℞. ſal. tart. unc. j.
vin. auſtriac. lib. iv.
ſyrup. de ſpin. cerv. unc. iv.

M. S. *Sumat æger omni quadrihorio cochleare unum, sensim augendo dosin.*

35) ℞. resin. jalap. gr. xx.
sal. polychr.
sacch. alb. aa. gr. x.

M. S. *Pulv. tenuissimus, unica dosi sumendus.*

36) ℞. fol. pin. unc. ij.
sal tart. gr. xx.
mist. coq. s. q. aq. vase clausa per $\frac{1}{4}$ hor.
dein adde
spirit. junip. unc. j.
& vase clauso relinq. adhuc per $\frac{1}{2}$ hor.
in ferv. digestione, posthac colat. lib iv. exhibe

S. *sumantur omni trihorio unciæ duæ tepide, sensim augendo dosin.*

37) ℞. Aq. meliss.
— menth.
— fl. samb. aa. lib. j.
syrup. diacod. unc. iij.
spirit. sulph. per camp. dr. j. ß.

M. S. *Sumat æger omni bihorio unc. ij.*

38) ℞. Succi nast. aq. recent. express.
lib. ß.
syrup. de succo pom. acid. unc. iij.
spirit. sulph. per camp. dr. j.

M. S. *sumatur omni bihorio cochleare unum.*

39) ℞. sem. melon. unc. ij.
— papav. alb. unc. j.
f. c. s. q. decoct. hord. emuls.
colat. lib. j. ß.
adde
syrup. diacod. unc. j. ß.

M. S. *Dentur omni bihorio unciæ tres tepide.*

40) ℞. Aq. fl. rhæad. unc. iv.
syrup. menth. unc. ß.
laud. liq. sydenh. gtt. xxv.

M. S. *Sumat æger omni hora cochleare unum, augendo sensim vel minuendo dosin, prout opus fuerit.*



ANTONII STORCK,

Sacræ Cæsar. Reg. Apost. Majestatis Consiliarii Aulici, Archiatri, & in Nosocomio Civico Pazman. Physici,

ANNUS MEDICUS,

SECUNDUS,

QUO SISTUNTUR

OBSERVATIONES

CIRCA MORBOS ACUTOS ET CHRONICOS, adjiciunturque eorum Curationes, & quædam Anatomicæ Cadaverum Sectiones.

ANN. II. TOMUS I.



VIRO ILLUSTRISSIMO


GERARDO

L. B. VAN SWIETEN,

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS & Imperatricis a Consiliis, Archiatror. Comiti, Bibliothecæ augustæ Præfecto, inclyt. Facult. Medic. Vienn. Præsidi perpetuo, necnon Academiæ Reg. Scient. & Chirurg. Paris. Institut. Bononiens. & Litter. Incognitor. Membro, &c.

Has pagellas dedicat

ANT. STORCK.



VIR ILLUSTRISSIME,

Ea omnia ex te solo proficiscuntur, quæ ego habeo, queis fruor.

Dum enim novisti, me, per plures annos diu noctuque numerosissimos inter ægros versatum,

artem salutarem rite addidicisse, atque eandem usu multiplici comprobasse; dum vidisti, multos ægros, partim jussu NOSTRÆ AUGUSTÆ, partim tua benevolentia mihi concreditos, ex periculosissimis morbis mea ope esse ereptos; & demum dum & tuis & aliorum experientiis certus fuisti, tentamina nova, quæ circa cicutam institui, misero humano generi esse admodum utilia, salutaria, eaque promereri quoddam præmium, effecisti (innato tuo erga bonos favore) ut SACRATISSIMÆ MAJESTATES me in Archiatrorum numerum susceperint.

Dignitas profecto! qua in re Medica major non existit.

Ut autem mihi amplus artem exercendi & ægros observandi campus semper superesset, impe-

traſti a CLEMENTISSIMA NOSTRA AUGUSTA *(quod ego ex te demiſſe & ardenter flagitavi) ut Noſocomii mei curam deinceps quoque conſervarem, & ægris, dum officium Aulicum admittit, facerem medicinam.*

An majora? An utiliora mihi potuiſſes præſtare?


Sane! Tibi, VIR ILLUSTRISSIME, *Artem, Tibi honorem debeo, & omne id quod datur vita.* *Patere igitur, ut Patrem meum te compellem; nam paterne mecum egiſti, & agis adhucdum; patere, ut has pagellas, neque totum pro tantis beneficiis in æternæ gratitudinis monumentum tibi dem & conſecrem.*

Verum ne te unquam eorum, quæ in me contuliſti, poſſit pœnitere, promitto tibi, ſancte: me

id facturum semper, quod viri boni, honesti, seduli, & Artis periti officium exposcit.

Vale, VIR ILLUSTRISSIME: *vale diu: & me tuis gratiis, quæ & futuros vitæ dies beatos reddere possunt, ulterius fovere, & protegere non desiste.*





PRÆFATIO.

Prodit ſecundus Annus Medicus, qui ea iterum fideliter recenſet, quæ a primo menſis Julii 1759, uſque ad ultimum menſis Junii 1760, circa ægros, in meo Noſocomio decumbentes, acta ſunt.

Ordo ſervatur idem, qui in Anno priori.


Promiſi olim, me has obſervationes omni anno continuaturum, quoniam plurimi ac rariſſimi caſus (etenim omnis generis, ætatis, & ſexus ægri in hoc Noſocomium ſuſcipiuntur) mihi quotidie obveniunt.

Verum nunc munere Aulico impedior, quo minus Noſocomii ægris omni tempore, quo neceſſitas

exigit, adeſſe poſſim; junctus propterea mihi eſt collega Dominus *Henricus J. Collin*, vir in Scientia Medica profundus, labore indefeſſus, obſervatione fidus, qui hoc Opus in poſterum elaborabit, & edet in lucem.

Circa Morbos difficiles & arduos noſtras mentes ſemper conferimus, ut negligatur nihil, quod ægris prodeſſet.

Hac ratione ſperamus, noſtros labores Miſeris fore ſalutares, nec diſplicituros Orbi litterato.





DE
MORBIS ACUTIS.

MENSIS JULIUS.
1759.

MORBO acuto sexcenti septuaginta & quatuor ægri hoc anno in nosocomio decubuerunt; quinquaginta & duo inde mortui sunt; reliqui omnes convaluere.

Febris acuta simplex multos mense Julio detinuit.

Symptomata autem erant levia: exiguus solummodo capitis dolor, sitis mediocris, sicca tussicula, & febris admodum mitis observabantur.

Lingua fuit plerumque alba, oculi vivaces, raro turbidi, respiratio naturali fere æqualis, cutis mollis.

Alvus, bonæ consistentiæ & coloris, fere quotidie sponte prodiit. Urinæ sub initium fuerunt ruffæ; finiente tertio morbi die turbidæ, & quarto die posuerunt sedimentum copiosum, album, glutinosum (quale calculo laborantibus commune est.)

Sæpissime quarto die ortus est copiosus sudor per universum corpus, & desiit tunc febris, & urinæ sensim naturales factæ sunt.

Si autem quarto die sudor nullus observatus fuit, tunc urinæ continuarunt crassum ponere sedimentum, & septimo die citra omnem sensibilem evacuationem ægri a febre liberati sunt, & vires suas brevi recuperarunt.

Ultra septimum diem febris acuta simplex nunquam duravit.

Tres tantum hoc mense ægri fuerunt, quibus septimo die miliaria alba eruperunt. Nihilominus & his eodem die febris cessavit, cœperunt redire vires, viguit appetitus, & omnis actio, & functio; uti iis, in quibus talia non contigerunt.

Undecimo die miliaria fere omnia conciderunt, & epidermis dein in squammas abiit.

Alia exanthemata hoc mense in nosocomio visa non sunt.

Curatio fuit facillima, etenim praeter infusa, vel decocta diluentia, pauco nitro, & melle mista, nullum fere medicamentum requirebatur.

Quibus tussis paulo molestior fuit, his decocta ex radice alth., fol. alth., malv., verbasc. &c. addito stibio diaphoretico non abluto, & syrupo alth. vel flor. rhæad. aut melle puro, quandoque oxymelle simplici, optime conduxerunt.

Subinde ob inanem tussim vesperi exhibebatur uncia una syrupi diacodii.

Aliqui habuerunt pulsum debilem, & mollem, atque hos mistura N. 1. erexit, restituit.

Acuta febre hoc mense nullus est mortuus; omnes brevi convaluerunt, neque ullus in alium morbum incidit, aut passus est recidivam.



MENSIS AUGUSTUS 1759.

FEBRIS acuta fuit, adhuc mitior quam mense præcedente, nulla omnino exan-

themata obſervata ſunt. Curatio ſimpliciſſima omnibus ſatisfecit.

Tenuia carnium juſcula, infuſa foliorum ſcabioſæ, veronicæ, hederæ terreſtris &c., aliquoties per diem calide hauſta, omnem ſcopum abſolverunt.



MENSIS SEPTEMBER.
1759.

MULTI febre continua putrida decubuerunt.

Omnes ingentes capitis dolores, ſitim magnam, pectoris oppreſſionem, & aurium tinnitum conquerebantur.

Pulſus fuit multum febrilis, raro autem inæqualis, aut intermittens, lingua ſubfuſca, humida, oculi turbidi, facies rubra, cutis viſcido ſudore madida.

Quidam delirarunt, quidam fuerunt ſoporoſi, nec ad rogata reſponderunt.

Vires vix non in omnibus erant dejectæ. Urinæ prodierunt ſubrufæ.

Alvus quibusdam fuit immorigera, & non prodiit, niſi enemate, aut ſuppoſitorio ſollicitata.

Quidam vero quotidie depoſuerunt alvum pultaceam, valde fœtidam.

A principio morbi usque ad quintum, sextum, septimumve diem symptomata omnia sine omni prorsus mutatione persistiterunt; tandem absque notabili turbatione remisere & ortæ sunt parotides admodum duræ, dolentes.

His apparentibus desiit febris continua, & hujus loco multis supervenit febris quotidiana intermittens, paucis tertiana.

Hæc binis, ternisque a pastu horis incepit cum vehementi horripilatione, totum corpus, & præsertim ossa, & tendines permeante. Post medium horæ quadrantem sequebatur calor, & pulsus valde celer, dein delirium, enormis capitis dolor, & nox inquieta, insomnis; unde vires prosternebantur, & ægri iterum pejus habuerunt.

Tempore matutino pulsus fuit omnino naturalis; raro autem hi ægri sub finem paroxysmi sudarunt.

Quidam fuere, qui quidem manifestos paroxysmos experti non sunt, verum quotidie stata hora absque horripilatione cœperunt languere, angi.

Pulsus tunc erat parvus, contractus, non tamen motu febrili exagitatus, & noctes fuerunt inquietæ, vigiles.

Urina sub initium languoris fuit pal-

lida, dein vero crassa, fœtida, & lateritium posuit sedimentum.

Septem ægris, remittente circa septimum morbi diem febre continua, proruperunt miliaria alba, & tunc his nullæ parotides comparuerunt.

Pomeridiana tamen horripilatio, dein calor, & febris exacerbatio hos quoque ægros, prostantibus licet miliaribus, æque divexarunt, ac illos, quibus parotides ortæ sunt.

Mala quamvis symptomata ab initio ad finem usque hos ægros fuerint comitata, est tamen tantum unicus, qui succubuit, & hic semper fuit valde debilis, soporosus, pulsum habuit exilem, inæqualem, intermittentem, faciem fuscam, linguam tremulam, plumbeam, oculos torvos, fulvos, urina fuit semper pallida, inodora, alvus viridis, fœtidissima, ardens, frequens, debilitans &c.

Curatio simplicissima suffecit.

Remedia diluentia, leviter stimulantia, putredini resistentia, omne obstaculum removerunt.

Serum lactis vinosum N. 2. mistura N. 1. claretum N. 3. &c. ægris grata erant, & plurimum profuerunt.

Quos tussis multum divexavit, hos decocta emollientia, resolventia, expec-

torantia, juverunt; ut & haustus oleosus paregoricus, omni vespera exhibitus.

Soporosos vesicantia erexerunt; noctes turbatas syrupus diacodii quietas reddidit.

Dum febris continua desiit, & apparuerunt parotides, dumque accessit febris quotidiana, aut tertiana, plerumque brevi ad corticem peruvianum confugiendum erat; secus repetiti paroxysmi ægros valde debilitarunt, & parotidum resolutionem, aut suppurationem retardarunt, aut penitus impedivere.

Ad parotides externe adponebantur cataplasmata, aut fomenta emollientia, resolventia, discutientia.

In quinque solummodo ægris benigna resolutio secuta est; plerumque hi tumores suppurando consumpti sunt.

Dum, suppressa febre intermittente, a cortice peruviano ilico abstinebatur, ægri languerunt, & parotides longo tempore manserunt duræ, & ægris vehementes dolores excitarunt.

Si autem corticis peruviani usus continuatus fuit, tunc sexto, septimove die fluctuatio percepta est, & dein brevi parotides ruptæ sunt, & boni puris magna quantitas prodiit.

Arte chirurgica nunquam aperti ſunt hi abſceſſus, ſed eoſque fomentis & cataplaſmatibus emolliti, donec ſponte rupti fuerunt.

Si rupta eſt cutis, antequam omnis durities in pus abivit, nunc ſanatio tarda, & difficilior fuit, reliquiæ ſuppurantibus non facile conſumptæ ſunt, & ortum eſt ſæpe ulcus ſordidum, quod in ſinus, & fiſtulas degeneravit; unde aliquot ſeptimanæ quandoque ad integram curationem requirebantur.

Nihilominus licet omnia brevi tempore ad ſuppurationem fuerint redacta, utile tamen erat ægris ulcus tale per decem, aut quatuordecim dies apertum relinquere, ut hac ratione fonticuli inſtar omne impurum ex ſanguine ſepararetur.

Quamdiu tale ulcus clauſum non eſt, tamdiu cortice peruviano utendum fuit, hoc ſi neglectum eſt, pus bonum eſſe illico ceſſavit.

Verum drachma dimidia omni trihorio exhibita, tunc ſuffecit.

Præterea quoque corpus nutrientibus parca quidem doſi, ſed repetitis vicibus, reficiendum erat.

Serum lactis vinoſum, aut decoctum hordei, addito vino generoſo auſtriaco

& pauco succo citri, & syrupo de cinnamomo, ut gratum fieret, similibus ægris multum conduxerunt.

Ulcera ex parotidibus orta quandoque omnibus medicamentis restiterunt, & vicinas partes arroserunt; quamprimum autem lintea carpta, infuso cicutæ madida, aliquoties per diem his imposita sunt, tunc mox omnis sordities disparuit, labia coierunt, & firma brevi cicatrix formata est.

Septem ægris, quibus miliaria proruperunt, febris intermittens cortice peruviano quoque fugari debuit; & per aliquot dies ad vires conservandas, & augendas, & ad recidivam præcavendam, eodem remedio pergendum fuit.

Quarto ab eruptione die cœperunt miliaria exsiccari, septimo disparuerunt omnia, & epidermis secessit.

Bini ægri, quibus parotides benigna resolutione dissipatæ sunt, insequente biliosa diarrhæa, sanitatem obtinuerunt.

Reliqui autem tres absque ulla sensibili evacuatione integre convaluerunt, & sani aliquamdiu retinebantur in nosocomio, ut certus essem: an nulla contingeret recidiva.



MENSIS OCTOBER. 1759.

ADMODUM numerosi erant ægri, qui hoc mense febre acuta in nosocomio decubuerunt.

Tussis fere omnibus molesta fuit.

Morbus incepit levi horripilatione, repetitis vicibus redeunte; dein sequebatur calor, dolor capitis, sitis, membrorumque debilitas, & ciborum inappetentia.

Multi vagos simul per artus dolores, & in pectore tensiones conquesti sunt.

Causa mali plerumque ex impedita transpiratione orta est; etenim tempus erat inconstans, aër humidus, & frigidus.

Qui statim in principio sese opposuerunt, & diluentibus, atque regimine moderate calido transpirationem revocarunt, ii intra binos ternosve dies leni sudore, aut urina crassa, lateritia, judicati.

Necesse autem tunc fuit, ut probe se contra aëris injurias, & vicissitudines munirent, secus idem morbus rediit, & valde pertinaces egit radices.

Qui sub initium levia symptomata

flocci fecerunt, neglexeruntque debita remedia, ii quotidie in pejus ruerunt, vires magis dejectæ sunt, caput vehementius doluit, rubuerunt oculi, aures tinnitu, & susurro afficiebantur, respiratio facta est difficilis, tussis frequentior, defatigans, orti sunt in thorace dolores pungentes, locum omni momento variantes, tensiones dolentes, scapulas, & totum thoracem occuparunt, intumuit ventriculus, tensa sunt hypocondria, nec præ dolore ad tactum tulerunt.

Quibusdam violentis tussis fæces & urina contra voluntatem propellebantur, quibusdam tussi eductum est sputum tenue, spumosum, multo sanguine mixtum, inflata est facies atque totum caput, & cor cœpit palpitare.

Pulsus fuit plerumque multum febrilis, sitis magna, urina fere naturalis cum nubecula in medio suspensa, aut fundum petente; alvus quibusdam erat clausa & valde dura, quibusdam vero liquida, glutinosa, quandoque spumosa, cerevisiæ fermento haud absimilis.

Curatio pro ratione symptomatum, temporis, & temperamenti debuit institui.

Quidam plethorici pulsum habuerunt

durum, valde plenum, respirationem anhelosam, tussiculam brevem, valde suppressam.

His venæ sectio repetita maximum levamen attulit; etenim mox pulsus fuit liberior, respiratio fere naturalis, & tussis pleno pectore peragi potuit.

Infusum florum rhæados, edulcoratum melle, & addito pauco nitro, sputum impactum mox mobile reddidit, & eduxit; unde tales ægri intra aliquot dies a morbo, qui sub initium valde periculosus videbatur, facile liberati sunt.

Intra parietes in moderato aëris calore aliquo tempore se continere debuerunt hi ægri, ne ex aëris frigiditate recidivam susciperent.

Qui vero liberius respirarunt, & nec plenum, nec durum, nec suppressum pulsum habuerunt, iis vena secta non est, quoniam (uti multiplici experimento constitit) sanguis, hac ratione demptus, vim naturæ debilitavit, & materiæ morbosæ coctionem, sputique maturationem retardavit, impedivit, & hoc modo ægros in periculum vitæ conjecit, vel morbi dies prolongavit.

Cum igitur pulsus nec nimis fortis, nec nimium debilis fuit, naturæ totum fere negotium relinqui poterat.

Infusa florum sambuci, rhaeados, verbasci, radicis faeniculi, herbae hederae terrestris, veronicae, agrimoniae, addito oxymelle simplici, & stibio diaphoretico non abluto, saepius per diem hausta, brevi magnum levamen adtulerunt, & sputa coeperunt prodire, quibus similes aegri intra aliquot dies convaluerunt.

Si vero his lingua fuit valde sicca, & fauces asperae, atque vox rauca, tussisque ferina, tunc decoctum emolliens N. 4. ex omnibus maxime conduxit.

Quandoque tamen ante septimum aut nonum diem nulla sputa comparuerunt, urinae manserunt crudae, & noctes ob irritam, & frequentem tussim fuere inquietae, insomnes.

Qua de causa, ut omni vespertino tempore paregoricum ex massa pillularum de cynoglosso, vel de styrace, aut syrup. diacod. papav. albi, aut haustu oleoso cum grano j. vel ij. opii, his praeberetur, necesse fuit.

Subinde tamen paregoricum vespertinum per epicrasim datum meliores effectus praestitit, quam deglutitum unico haustu.

Unde mistura N. 5. quietum somnum conciliavit.

Dum sputum cœpit prodire, erat id glutinosum, mucosum, tenax; dein magis crassum, subflavum; demum puri simillimum, quo per unam, alteramve septimanam rite procedente, integra sanitas rediit.

Sæpe autem tempore vespertino exacerbata est febris cum levi horrore, accessit major sitis, pectoris angustia, raucedo, tussis magis sicca, situs corporis valde inquietus, & genæ rubuerunt, quandoque supervenit delirium.

Calorem vero maximum ægri conquerebantur circa pedum extremitates, in vola manuum, & in capite.

Emulsum paregoricum nitrosum N. 6. circa tempus similium exacerbationum exhibitum, omnia symptomata pulchre mitigavit.

Verum multorum ventriculus a simili emulso gravabatur, inflata sunt hypocondria, & haud raro orti sunt dolores colici, præsertim in iis ægris, qui pectus habuerunt admodum siccum, & vocem raucam, unde tunc mistura N. 7. emulsis præferenda fuit, & magis conduxit.

Dum observavi hos paroxysmos vespertinos vehementes fieri, & ægros debilitari, tentavi corticem peruvianum

præter alia remedia superius memorata, verum paroxysmi inde nequaquam facti sunt mitiores.

Nec tamen cortex coctionem impedivit, nec ægris, repetitis licet vicibus magna dosi exhibitus, nocuit.

Erant ægri, quorum pulsus erat mollis, debilis, neque tamen tantæ pulmonum infarctionis aut inflammationis signa observabantur, ut pulsus mollities ac debilitas potuerit inde deduci; naturæ igitur vires defecerunt.

Quapropter præter infusa, & decocta, superius descripta, medicamenta leniter stimulantia postulabantur.

Unde his sub finem infusionis, aut decoctionis addita est proportionata quantitas radicis serpentariæ virginianæ, contrajervæ, angelicæ, vel herbæ hyssopi, hyperici, ruthæ, rorismarini, &c.

Quandoque tamen omnium optimos his in casibus effectus præstitit mixtura N. 8. ex qua ter, aut quater per diem data fuit uncia dimidia.

Hac ratione & vires conservatæ sunt, & sputa bene cocta, & copiosa prodierunt, & sensim febris evanuit, atque ægri convaluerunt.

Quidam ex his ægris, prodeunt.bus

licet copiosis sputis, nullum levamen habuerunt; fuerunt soporosi, frequenter delirarunt, pectoris angustiam, pondus, & ingratam titilationem sunt conquesti.

Vesicantia suris applicata soporem dispulerunt; quoniam vero sputa facile egesta sunt, & nulla alia indicatio magis ursit, hinc prioribus medicamentis continuatum est.

Quo contigit, ut decimo septimo die, aut vigesimo, quandoque vigesimo quarto miliaria alba copiosissima in conspectum venerint, & tunc omnis febris desiit, sputa tamen rite procedere continuarunt, & reliqua omnia mala symptomata eodem tempore disparuerunt, neque magna turbatio hanc exanthematum eruptionem praecessit.

Mox rediit appetitus, vires in dies increverunt; nihilominus remediis expectorantibus sine intermissione adhuc dum opus fuit.

Nec similium exanthematum magna ratio habenda fuit; etenim ægri per plures horas sine ulla molestia extra lectum esse potuerunt, neque bonum erat sudorem promovere, sputa enim inde suppressa sunt, & ægrorum vires imminutæ.

Lenem tamen transpirationem con-

servare, semper necesse fuit, hac enim impedita tussis fuit violentior & pulsus magis agitatus, æger anxius.

Unde ab aëre flante per portam, vel rimam angustam, & ægrum immediate allambente summopere cavendum erat.

Ex sexaginta aliquot ægris, qui febre acuta effecti in nosocomio hoc mense decubuerunt, binæ tantum erant vetulæ, quæ non evaserunt, & hoc vel ideo, quoniam earum vires adeo debiles fuerunt, ut sputa, quamvis cocta & mobilia ejicere non valuerint.

Qui ex morbo adhuc debiles aëri frigido sese nimis cito exposuere, ii facile iterum tussi correpti sunt, & in priorem morbum inciderunt.

Multis, cessante tussi & febre, mansit continuus vomendi conatus, appetitus cum horrore deletus, & pondus in ventriculo; & erat hoc in iis plerumque ægris, qui durante morbo magnam sputorum copiam deglutiverunt.

Simili in casu mistura N. 9. alvum admodum glutinosam eduxit, & hac ratione plurimis restituit appetitum, & ventriculi pondus abstulit.

Quandoque tamen data hac mistura N. 9. mansit adhuc ventriculi pondus, & continuus vomendi conatus, neque

hæc ſymptomata ceſſarunt, quamvis iteratis vicibus purgans fuerit exhibitum; quare tunc vomitorio opus fuit.

Aſſumpto pulvere N. 10. mira tenaciſſimi glutinis quantitas ore rejecta eſt, & paulo poſt diſparuit præcordiorum anxietas, ventriculi pondus, & ægri bene habuerunt.

Vomitus quidem ſubinde pectus, a tuſſi jam valde defatigatum, magis irritavit, & produxit pectoris, atque præcordiorum dolores.

Si vero eadem veſpera datum eſt remedium opiatum, tunc tranquillus ſupervenit ſomnus, & ſedatæ ſunt omnes turbæ, &c.

Tentavi ſæpius, annon remediis ſalinis, & digeſtivis, & alvum leniter moventibus gluten poſſet incidi, dilui, & per inferiora educi; verum his, longo licet tempore uſurpatis, nil effeci, & manſerunt continuæ nauſeæ, vomiturities, nec rediit appetitus, & ægri debilitati ſunt.

Quare tunc credidi præſtare innocenti emetico ventriculum ab onere liberare, quam lenioribus remediis morbum protrahere, & vires enervare.

His rite peractis, valde utile fuit, per aliquot dies, mane & veſperi drach-

mam unam theriac. diatess. ægris exhibere, ut appetitus conservaretur, & ventriculus priorem tonum atque robur recuperaret.



MENSIS NOVEMBER.
1759.

NUMERUS acuta febre affectorum valde magnus fuit; nec ullus erat æger hac febre decumbens, quem tussis non divexavit.

Multi ex his ægris continuum dolorem punctorium in thorace conquerebantur, hic dolor non admisit profundiorem inspirationem, & tussi reddebatur adeo acutus & acerbus, ut ægris quandoque levia animi deliquia inde accesserint. Lingua fuit sicca, alba, quandoque fusca; sitis ingens, urina flammea, facies rosea.

Pulsus fuit valde febrilis, durus, quandoque inæqualis, oculi rubuerunt, in faucibus percipiebatur ardor, & vox rauca, ac debilis.

Dum ex nimia tussi, & doloris exacerbatione, animi deliquium supervenit, tunc pulsus fiebat lentus, parvus, intermittens, facies pallida; & extrema sudor gelidus occupavit,

Similes ægri, præ dolore, & anxietate nec ſedere, nec decumbere potuerunt. Hinc continua corporis agitatione eorum vires defatigatæ ſunt.

Vera igitur, & periculoſa pleuritis hos divexavit.

Principium erat horror per totum corpus, dein ſucceſſit calor, & capitis dolor, poſtea membra omnia reddebantur languida, atque dolor vagus ea perrepſit.

His una, alterave hora durantibus, reſpiratio difficilior facta eſt, & ægri præ dolore, totum pectus conſtringente, thoracem ſufficienter ampliare non potuerunt; demum hæ anxietates & tenſiones remiſerunt, atque dolor acute pungens in diverſis ægris diverſas thoracis plagas occupavit, atque ibidem ſedem fixit.

Orto hoc dolore febris aucta eſt, & tuſſis frequentior, atque violentior reddita, & paulo poſt omnia reliqua ſymptomata (ſuperius enarrata) obſervata ſunt.

Alii ægri idem morbi principium, & eundem omnium ſymptomatum decurſum experti fuerunt, nullum autem dolorem punctorium in thorace percepeperunt; verum reſpiratio facta eſt anheloſa, ſublimis.

Hinc materies morbosa in pulmonem se contulit, produxitque inflammationem; unde hi ægri erant peripneumonici.

Quandoque autem peripneumoniæ junctus est dolor acute pungens, & tunc similis æger, cæteris paribus, in majori periculo versabatur.

In omnibus his ægris eadem erat indicatio, hinc & eadem curandi methodus suffecit.

Repetita venæ sectio fere semper fuit summe necessaria, pleuritici inde citius levamen senserunt, quam ii, qui peripneumonia erant affecti.

Cavendum tamen fuit, ne nimia sanguinis detractione vitæ vires dejicerentur; tali enim ratione morbus & longior, & periculosior evasit, imo sub finem facile in alium morbum transivit.

Peripneumonicorum pulsus, si post venæ sectionem liberior, major, & subdurus factus est, indicavit morbum esse curatu facilem, & brevem.

Et si tunc respiratio simul liberior reddebatur, & æger alacrior, tunc opus non fuit venam denuo aperire. Si vero pulsu, meliore facto, respiratio æque laboriosa mansit, tunc venæ sectio debuit repeti.

Hoc in casu solis venæ sectionibus maxima vis morbi ablata est, & ægri cito convaluerunt.

Ubi vero facta venæ sectione pulsus fuit longe minor, inæqualis; ubi ægri in animi deliquium inciderunt, & extrema habuerunt frigida, & faciem lividam, ibi majus longe periculum fuit, & iteratæ sanguinis evacuationes lethalia symptomata brevi adtulerunt.

Unde a venæ sectionibus erat abstinendum, licet pessimæ inflammationes eas summopere desiderassent.

Pleuriticorum pulsus, si post venæ sectionem minor, mollior, & tardior fuit, & si dolor remisit, aut penitus evanuit, brevem ægris sanitatem promisit.

Si vero nec dolor remisit, nec febris violenta, nec pulsus durities imminuta est, tunc paulo post vena iterum tundenda fuit.

Si in principio ægri habuerunt pulsum valde suppressum, & durum, tunc post venæ sectionem omnia in pejus videbantur abire; auctus est dolor punctorius, aucta est febris, sitis & ægri valde inquieti fuerunt, arteriæ erant plenæ, duræ, & in omni corporis plaga ingens pulsatio & calor percipiebantur.

Ebullitio hæc, orta ex venæ sectione, novis iterum venæ sectionibus debuit sedari, compesci.

Idem fieri debuit, dum facta venæ sectione dolor punctorius quidem evanuit, sed aucta est febris, & supervenit ingens dolor capitis, vel dolor spinæ dorsi, aut lumborum, vel si respiratio magis anxia reddita est (quod haud infrequenter contigit) aut si dolor punctorius ex una thoracis plaga discessit, & aliam paulo post, eadem cum vehementia, obsedit.

Raro tamen potuit solis venæ sectionibus omnis dolor sedari; pleuriticos multum juvit, si parti dolenti cataplasmata, aut fomenta emollientia, applicata sunt.

Peripneunomicis quoque eadem fomenta, & cataplasmata toti pectori imposita plurimum profuerunt, utiliores tamen his fuerunt vapores aquæ calidæ naribus, & ore hausti.

Pro remedio interno pleuriticis optimo cum effectu datum est decoctum N. 4.

Quidam solo infuso florum verbasci, & rhæados, addito sale prunellæ, & melle simplici, vel oxymelle, &c. restituti sunt.

Os, & fauces, tussi exsiccatæ, linctu

N. 11. magno cum ægrorum levamine humectatæ ſunt, & ſputa faciliora reddita.

Si tamen dolor punctorius neque debitis venæ ſectionibus, neque fomentis, neque remediis mitigari potuit, tunc neceſſe erat, parti dolenti adponere latum veſicans, quod intra unam, alteramve horam omnem dolorem abſtulit, & vires erexit, & reſpirationem effecit liberiorem.

Unus fuit æger, quem veſicans hac ratione adplicatum non juvit, & hic ſuppuratus contabuit.

Plurimi pleuritici ſolis ſputis judicati ſunt, paucis diarrhæa bilioſa, levans, ſupervenit.

Urina a tertio, quartove morbi die ad finem uſque ſedimentum craſſum, glutinoſum, ſubrubrum depoſuit.

Decoctum N. 4. illis peripneumonicis valde utile fuit, qui facta venæ ſectione liberius reſpirarunt, & pulſum habuerunt majorem.

Plerumque tertio die, aut in principio quarti diei ſputa bene cocta prodierunt, & ab his ſolis ſalus pependit.

Pauci fuerunt, qui tuſſi inani, & ſicca poſt quartum diem adhuc vexati ſunt, atque his ſexto die febris major cum

cum horrore orta est, & respiratio fuit difficilior, sitis, & calor ingens, facies ruberrima &c.

Urinæ, quæ tertio, & quarto die optimæ coctionis signa præ se tulerunt, denuo fuerunt crudæ, aut flammeæ.

Verum quam primum venæ sectionibus debitis justa sanguinis quantitas educta fuit, tunc illico tussis pleniore pectore potuit peragi, sitis, & calor remiserunt, & septimo die sputa secuta sunt, atque ab eo tempore ægri sensim convaluerunt.

Hoc modo peripneumonia, periculosa licet, absque magno labore solvebatur; majorem vero industriam expostulavit, dum respiratio venæ sectionibus aut non emendata, aut pejor facta est, & ægrorum vires imminutæ sunt.

Etenim tunc non tantum subigendæ pessimæ inflammationi, sed & viribus conservandis, ac augendis studendum erat.

Camphora rite subacta, & multo vehiculo diluta, atque parca, & prudenti dosi exhibita, mira his in casibus præstitit.

Quapropter præter decoctum N. 4. aut præter alia decocta, & infusa pectoralia pro ratione symptomatum dedi bis,

ter, quaterve per diem cochlear unum ex mistura N. 8. & optatum finem fere semper attigi.

Si tamen horripilationes, & febris exacerbationes statis horis redeuntes observatæ sunt, tunc ad has supprimendas magna simul corticis peruviani copia data fuit.

Medicamentis hoc modo secundum judicium, & rationem administratis pessime decumbentes præter omnem fere opinionem e mortis faucibus erepti fuerunt.

Vesicantia suris, & quandoque etiam humeris, & nuchæ applicata, delirium mitigarunt, levarunt caput, & mentem effecerunt magis serenam.

Loca autem hac ratione excoriata remediis digestivis, & paululum irritantibus debebant aliquamdiu fluentia conservari.

Dum tussis inanis ægros nimium defatigavit, & produxit dolores, aut quandoque spumosum sanguinem; tunc omni tertia, quartave hora lene paragoricum debuit exhiberi, quo tussis remisit, & ægri fuerunt magis quieti.

Qui vero violenta, & inani tussi vexati non sunt, ii de die nullo paragorico opus habuerunt.

His in casibus sputa cocta tarde comparere cœperunt, & die plerumque incerto; ante undecimum diem sputa semper aquosa, spumosa, aut glutinosa fuerunt, nec ægros levarunt.

Dum vero crassa, flava, & puriformia prodierunt, tunc brevi vis morbi minor fuit, & dein solis remediis, sputa promoventibus, reliqua cura potuit perfici.

Quandoque tussis inanis ad decimum tertium, aut decimum quartum vel decimum quintum diem duravit, & nullum prorsus sputum comparuit, dein vero subito ortus est in pectore strepitus, & aderat materies copiosa, mobilis, quæ sputis debebat ejici.

Verum ægrorum vires fuerunt valde debiles, hinc fortioribus remediis expectorantibus agendum erat.

Usu misturæ N°. 12. vel clareti N°. 13. vel conservæ N°. 14. vel pulv. N°. 17. vel aliorum hujusmodi medicamentorum mox copiosum, & purulentum sputum magno cum ægrorum levamine eductum est.

Senibus hic morbus plerumque lethalis fuit; hi enim sputis suffocati sunt, licet optima remedia fuerint exhibita.

Alia febre continua, cui violenta

tuſſis quoque juncta fuit, multi hoc menſe ægri decubuerunt.

Aëris injuriæ hanc plerumque produxere.

Initium fuit horror per univerſum corpus, dein languor; poſtea dolor rheumaticus, partim vagus, partim fixus, omnia membra obſedit.

Hicce dolor ſubinde poſt unam alteramve horam ex membris abiit, & tunc pectus oppreſſum eſt, & ægri cœperunt tuſſitare.

Neque tamen aderat magna ſitis, neque pulſus admodum velox, aut durus, aut ſuppreſſus, neque ullum aliud ſignum, quod veram pulmonum inflammationem indicaſſet.

Caput ſimul erat affectum; etenim quibusdam caput totum vehementer doluit; quidam in ſola fronte, & circa tempora dolorem perceperunt; quidam hemicraniam paſſi ſunt; quidam capitis gravitatem & internarum partium tenſiones conquerebantur, & his erant nares ſimul obſtructæ, ſiccæ, quidam vero, ab omni dolore immunes, continuo & ingrato aurium ſuſurro torquebantur.

Quandoque poſt plures horas de novo iterum per omnia membra diffuſus eſt

dolor rheumaticus, & tunc illico desiit dolor capitis, evanuit pectoris oppressio, & tussis; durante in membris dolore pulsus deprehendebatur inæqualis, contractus.

Si dolor rheumaticus subito iterum & præter rationem evanuit, tunc priora iterum symptomata observata sunt; nam rediit pectoris oppressio, tussis, & capitis dolor.

Hæ mutationes in eodem ægro sæpius contigerunt.

An materies serosa, acris, rheumatica nunc externas, nunc internas corporis partes invasit, & hac ratione diversa symptomata produxit?

Tussis in morbi principio semper fuit inanis, sicca; & longa tussitatione nil prodiit, nisi aqua spumosa; dein incerto die illud sputum cœpit lentum fieri, tandem prodiit mucus albus, viscidus, colore & consistentia albumini ovorum simillimus. Quandoque hic mucus colore subflavo tinctus est.

Sputum puriforme in his ægris raro videndum erat.

Quo crassus, & copiosius sputum prodiit, eo celerius, & majus sequebatur levamen; si autem sputum mansit

tenue, aut paucum, tunc morbus diu protractus est.

Tussis quandoque per plures horas penitus siluit, dein magna cum violentia iterum rediit, & ægros defatigavit.

Quandoque integro die ægri a tussi fuerunt liberi, vesperi autem stata fere hora orta est anxietas, titilatio, tussis frequens, molesta.

Tempore vespertino in omnibus his ægris febris, & symptomata exacerbata sunt; prægressa enim horripilatione aucta est pectoris anxietas, sitis, tussis; vox erat rauca, & calor per universum corpus, urens, ac siccus percipiebatur.

Quandoque post magnas vespertinas horripilationes vires penitus prosternebantur, & sputa, alias libera & facilia, suppressa sunt, imo per omnes artus accesserunt dolores dilacerantes, & ægri pessime habuerunt.

Unde noctes fuerunt inquietæ, defatigantes, insomnes, aut si ex nimia virum debilitate tandem ægri somno cœperunt opprimi, mox deliriis, & anxiis insomniis iterum excitati sunt, & membra continuo jactitarunt.

Matutino tempore tales ægri capitis

dolorem conquesti sunt, & tumulenti ac debiles languerunt.

Pectus autem, & totum os, & fauces erant exsiccatæ, asperæ.

Urina ab his ægris matutino tempore reddita, plerumque crassa fuit, ac turbida, & subfuscum, aut lateritium sedimentum deposuit; per diem fuit minus crassa, sed russa; noctu autem accedente exacerbatione fuit aut flammea, aut tenuis.

Exacerbatio fere in omnibus his ægris fœtido sudore finiebatur.

Rarissime in hoc morbo pulsus adeo plenus, & durus fuit, ut, ad vim naturæ infringendam, debuerit vena aperiri.

Imo non pauci erant inter hos ægros, quorum pulsus mollis & parvus remedia leniter stimulantia desideravit.

Morbus aliquamdiu progressus fere semper sputis judicabatur; inchoans vero leni quandoque sudori cessit.

Hinc remedia, quæ serosum lentum inciderunt, & lenem conservarunt transpirationem in morbi initio plurimum profuerunt.

Et multi ægri solis infusis ligni sassafras, vel trium santalorum, vel foliorum tussilag. virg. aur. agrimon. &c.

edulcoratis ſyrup. 5. radic. aperient. aut ſyrupo de althea, aut melle puro, aut oxymelle ſimplici, & addito ſimul nitro, vel lap. prunell. vel ſtib. diaph. non ablut. aut nitro antimoniat &c. brevi ſanitatem recuperarunt.

Fortiora ſtimulantia morbum reddiderunt pejorem.

Dum ægri a tuſſi frequenti, & inani ardorem, atque ſiccitatem in pectore ac faucibus conqueſti ſunt, vel dum habuerunt temperamentum valde ſiccum, tunc remedia emollientia ſtimulantibus erant præferenda.

Decoctum rad. alth. fol. alth. addito ſyrup. alth. vel decoctum radicis ſalab. addito melle puro tunc pectus ſiccum humectarunt, tuſſim reddiderunt minus violentam, & ægris magnum attulerunt auxilium.

Glutine jam ſoluto, & ſputo mobili reddito, fortiora remedia expectorantia requirebantur: unde præter infuſa, aut decocta, mox recenſita, datus eſt linctus N°. 15. vel miſtura N°. 16. vel N°. 12. vel pulvis N°. 17.

Sputa inde copioſa facile ejecta ſunt; quare iisdem remediis uſque ad finem morbi continuandum fuit; doſis autem

debebat augeri, vel imminui, prout ſymptomata id exegerunt.

Si noctes ob ſolam tuſſim erant inquietæ & inſomnes, tunc paregoricum, qualecunque datum, juvit.

Ceſſante tuſſi, & febre haud raro diarrhæa ſecuta eſt, & prodiit alvo gluten album, pellucidum, tremulum, vitreum.

Miſtura N°. 9. tunc exhibita mox excitavit appetitum, & expulſo glutine diarrhæam ſuppreſſit.

Subinde poſt diarrhæam aderat teneſmus; hunc vero remedia paregorica cito & facile ſopiverunt, & integra tunc rediit ſanitas.

Quidam, hac febre laborantes, fuerunt ſoporoſi, & pectore anxii, neque ſputis prodeuntibus levamen ullum habuerunt.

Hi delilarunt frequenter, ceperunt floccos, & circa veſperas auctum eſt delirium; oculi fere ſemper erant turbidi, triſtes, lachrymantes, fæces inſcie dimittebantur, quæ erant glutinoſæ, ex fuſco flavæ, fœtidiſſimæ.

Pulſus in quibuſdam ſat fortis fuit, unde his medicamenta prius laudata, diluentia nimirum, & expectorantia ſuffecerunt; in quibuſdam vero pulſus

fuit parvus, undulosus, qua de causa remediis stimulantibus simul opus erat.

Claret N°. 3. aut mistura N°. 8. aut N°. 1. ægros plurimum refecerunt; suris præterea, quandoque & nuchæ vesicantia erant applicanda, ut sopor, caput nimium gravans, dissiparetur.

His ægris quandoque decimo quarto morbi die, quandoque decimo septimo, aut vigesimo, quandoque vero incerto die miliaria alba eruperunt.

Verum neque inde symptomata multum mitiora sunt reddita; solus pulsus paulo liberior, & respiratio minus anxia videbantur.

Sopor, delirium &c. in eodem statu permanserunt, licet sputa simul copiosa prodierint.

Exanthemata in quartum diem mansuerunt pulchre elevata, plena, pellucida, dein vero cœpit humor ea replens turbari, quædam vesiculæ rumpebantur, reliquæ collapsæ sunt, & exciccatæ.

Atque tunc ægri levamen sentire cœperunt, oculis rediit vivacitas, rediit mentis serenitas, desiit omne delirium, & febris.

Urina, quæ hujusque rutila fuit, nunc turbata est, & posuit sedimentum glutinosum, album, grave.

Sputa prodire continuarunt, vires sensim auctæ sunt, tandem desiit tussis, viguit appetitus, & ægri perfectam sanitatem obtinuerunt.

Inter hos ægros fuit virgo novemdecim annorum, cui miliaria alba citra ullum levamen in collo tantum, & pectore apparuerunt, in reliquis autem totius corporis partibus nec stigma erat videndum. Partes vero ab exanthematibus liberas calor ingratus, urens, & molesta siccitas, ac rigiditas occuparunt.

Quarto ab eruptione die miliaria conciderunt; verum neque tunc hæc ægra levamen sensit, & mansuerunt eadem prorsus symptomata usque in septimum diem, quo partes antea aridæ cœperunt transpirare, madere, & tandem in omnibus extremitatibus, & in ventre numerosissima miliaria alba prodierunt, in pectore autem, & in collo nulla amplius visa sunt, sed ibi epidermis in squamas abiit; eodem adhuc die ægra a febre liberata est, & anxietates, & omnia mala symptomata velocissime discessere.

Vires mox increverunt, & absque multis medicamentis brevi rediit sanitas.

Qui sublime semper respirarunt, &

pauca vel plane nulla ſputa potuerunt proferre, qui in continua anxietate, & æſtu decubuerunt; quorum pulſus fuit undulosſus, intermittens, exilis, & vires penitus dejectæ; quorum lingua fuit plumbea, aut ſubviridis, aut adeo ſicca, ut egerit rimas; quorum facies fuit purpurea, aut livida, aut pallida, & frigida, oculi autem concavi, & ſanguine ſuffuſi; quos ſudor continuus, glutinoſus, defatigavit; quorum urina fuit colore naturali, vel tenuis, alvus fuſca, aut ſubnigra, frequens, & inſcio ægro prodiens, mortui ſunt.

Tentata quæcunque remedia hos ægros nequaquam juverunt; imo nimia ſolertia eos debilitavit.

Bini juvenes ſimili febre hoc menſe in noſocomio interierunt, ſenes autem quinque.

Alia iterum febris continua hoc menſe obſervata eſt in pluribus ægris, ubi nimirum primis tribus diebus morbus admodum mitis videbatur.

Etenim levis tantum & obtuſus aderat capitis dolor, appetitus languit, pulſus fuit naturali paulo celerior, nec tamen plenus, nec durus, nec ſuppreſſus, ſitis mediocris, lingua humida, alba, oculi ſolido minus vivaces.

Alvus quotidie naturalis prodiit, urina crassam in medio nubem gessit.

Incipiente quarto die omnia symptomata subito exacerbata sunt.

Pulsus summa violentia exagitabatur, ita quidem, ut eodem die binæ ternæve sat largæ venæ sectiones debuerint institui, caput acutissime doluit, in pectore orta est anxietas, & respirandi magnus labor, lingua fuit aridissima, oculi rubore suffusi sunt, & protuberarunt, sitis immaniter augebatur, totum corpus, maxime vero extrema calor urens invasit; urina fuit ruberrima; crassa, quasi multo sanguine tincta, accessit delirium, sopor, corporis inquietudo.

Factis necessariis venæ sectionibus, & dato copiosissimo potu diluente, nitroso, sub finem diei quarti tota cutis aspera, seu anserina apparuit, & mox rubuit colore scarlatino.

Nullum tamen symptoma inde levatum est, & ægri frequenter tussitarunt, & noctem habuerunt admodum inquietam.

Quinto die, prægresso per universum corpus largo sudore, remisit calor urens, & tussitatio; mox pruritus cutim occupavit, dein visæ sunt numerosæ pustulæ

albicantes, opacæ, diversæ magnitudinis & figuræ, quædam ex his confluentes sat magnas vesicas efformarunt.

Pustulæ hæ densissimo agmine collum, pectus, & abdomen obsederunt; in facie autem erant nullæ, in extremitatibus paucæ.

Factis his eruptionibus quidam ægri se multo melius habuerunt; disparuit enim sopor, abiit delirium, sitis, & pulsus velocitas imminuta est.

Imo pulsus in quibusdam fuit adeo bonus & æqualis, & omnia symptomata adeo mitia, ut totum opus soli naturæ tuto tunc potuerit committi.

Aliqui autem manserunt soporosi, continuo delirarunt, eorum pulsus fuit debilis, inæqualis, intermittens; urinam, & fæces inscie dimiserunt, tendines subsilierunt, & artus convulsionibus exagitati sunt.

Sexto die in eodem statu perstitere.

In principio septimi diei ortus est horror; dein ingens frigus omnia membra perrepsit, quod ultra horam duravit, extrema reddidit gelida, rigida, & tantam induxit virium prostrationem, ut mortem allaturam videretur.

Cessante tamen hoc frigore mox ægri ad se redierunt, nec delirarunt amplius,

pulsus fuit æqualis, liber, minus velox, & ab eo tempore vires auctæ sunt, nec ullæ convulsiones, aut tendinum subsultus amplius observabantur, in quibusdam febris fere penitus desiit.

Eodem adhuc die pustulæ omnes magis elevatæ sunt, & redditæ pellucidæ, etenim limpidissima lympha videbantur repletæ, color scarlatinus cœpit evanescere, & sitis imminui; urina fuit crassa, turbida, & copiosissimum sedimentum subfuscum deposuit.

Ægri, qui quinto die magnum levamen perceperunt, & habuere symptomata admodum mitia, ii septimo die levem tantum horripilationem perceperunt; pulsus fuit paulo celerior, & pustulæ magis repletæ sunt, & cœperunt pellucere, reliqua autem omnia optimo in statu permanserunt.

Octavo die nil mutatum est, nisi quod iis, qui septimo die adeo male habuerunt, aliquoties alvus biliosa, liquida, fœtida, cum magna euphoria prodierit, iis vero alvus fuit naturalis, qui minorem septimo die molestiam perceperunt.

Nono die febris fuit admodum exigua, urina fere naturalis, alvi profluvium siluit, color scarlatinus sensim in natu-

ralem abiit, pustulæ partim ruptæ sunt, & limpidum serum fuderunt, partim conciderunt, & exsiccatæ sunt.

Decimo die tota fere cutis naturalem colorem habuit, & omnia erant meliora, & quidam ex his ægris, ab omni febre liberi, jam per aliquot horas extra lectum fuerunt.

Undecimo die in omnibus desiit febris, rediit appetitus, epidermis lamellatim secessit, intra paucos dies viguerunt vires, & valetudo fuit integerrima.

Quoniam primis morbi diebus omnia symptomata valde mitia fuerunt, nulla peculiaris cura requirebatur, neque ulla indicatio tunc venæ sectionem postulavit.

Sola decocta diluentia ex hord. crud., rad. scorzon, acetos. &c. cum pauco nitro, & oxymelle simplici omne ex parte satisfactura videbantur.

Verum orta circa principium quarti diei exacerbatione, omnibus erat sanguis detrahendus, idque pro ratione virium, & pulsus repletione in pluribus iterato fieri debuit.

Dum cutis rubuit, & exanthemata proruperunt, omnibus optimo cum effectu exhibui infusum florum samb. N°. 19.

Dum vero ex his ægris quidam quinto die valde debiles fuerunt, & soporosi, & desirantes, & habentes pulsum inæqualem, parvum, intermittentem, opus erat præter hoc infusum. N°. 19. remedia magis stimulantia præbere; ut sunt: mistura N°. 8. vel mist. N°. 1. maxime autem ægris profuit, & debitas vires conservavit claretum N°. 3.

Vesicantia suris, & nuchæ quoque debuerunt applicari.

Præterea remedia paregorica omnibus erant necessaria; hac tamen differentia, quod ii, quorum vires quinto morbi die sat bonæ perstiterunt vesperi solummodo unciam unam syrupi diacodii exigerent; ii autem, qui debiles fuerunt, & quibus alia mala symptomata supervenerunt, omni quinta, sextave hora gutt. XII. vel XV. laud. liquid. SYDENHAMI opus habuerunt.

His solis remediis pro ratione auctis vel imminutis, hæc febris adeo feliciter debellata fuit, ut nullus horum ægrorum succubuerit.

Multi ægri hoc mense febre rheumatica, aut arthritica lecto affligebantur; unde hujus symptomata, & curatio hic loci esset describenda; verum quoniam idem morbus etiam mensibus se-

quentibus grassatus est, & diversa produxit symptomata, & ideo diversam sæpe curationem postulavit, putavi, quod de eo peculiari capitulo paulo inferius agendum esset.



MENSIS DECEMBER. 1759.

PERIPNEUMONIA frequenter observata est.

Symptomata fuerunt valde periculosa, etenim pessima fuit respiratio, pulsus celerrimus, suppressus, sitis ingens, facies tumida, livida, purpurea &c.

Iteratæ venæ sectiones hic locum habuerunt.

Tussis autem nimium frequens, molesta, & quasi convulsiva, paregoricis, aut opiatis, per epicrasin diversa sub forma exhibitis, statim in principio leniri debuit.

Id si factum non est, prorupit ore, & naribus copiosissimus sanguis, & ægri amiserunt vires.

Neque tunc ægro, valde debilitato, venam amplius licuit aperire.

Decoctum emol. N. 22. aut alia similia decocta resolventia, emollientia, antiphlogistica, nitrosa, mellita, maximum effectum præstiterunt.

Sputa incerto die cœperunt prodire; eaque in principio aquosa, tenuia, spumosa, haud raro striis sanguineis permista; dein facta sunt crassiora, subflava, demum penitus puriformia, & his solis rite procedentibus ægri sanitatem recuperarunt.

Decoctum N°. 4. hos ægros quoque multum juvit.

Quamprimum sputa facile prodierunt, & fuerunt copiosa, tunc illico febris remisit, neque amplius ægros tussis adeo defatigavit, & respirandi labor fuit longe minor.

Quando ægrorum vires ad egerenda sputa non suffecerunt, tunc præter decoctum N°. 4. optimo cum effectu datum est claretum N°. 13.

Nullus horum ægrorum paregorico vespertino carere potuit, hoc enim non assumpto, noctu accessit tussis sicca, frequens, quæ somnum turbavit, induxit deliria, & sputa effecit difficilia.

Plerumque hic morbus decimo septimo die integre cessavit.

Quandoque tamen tussis citra febrem

per viginti quatuor, aut triginta dies, & ultra duravit; quandoque vero per unum diem tussis aut nulla, aut pauca fuit, sequente autem die fuit iterum longe frequentior, & copiosa prodierunt sputa, idque alternis vicibus frequenter contigit.

Quandoque tota die cessavit tussis, & noctu certa hora ingruit, ægrum e somno excitavit, fecitque eum copiosa sputa egerere, tandem iterum desiit, & reliquam noctem æger tranquillam habuit.

Solis tamen remediis incidentibus, & sputa promoventibus hæc symptomata sensim suppressa sunt.

Inter tussiendum quandoque summa pectoris anxietas orta est, & ægri quasi pectus constringi, & respirationem inhiberi crediderunt; neque sputa potuerunt reddere, & fere suffocati sunt.

Hæ anxietates ægris accesserunt subito, & sæpe subito iterum evanuerunt; & fere tantum in iis contingebant, qui systema nervosum admodum mobile habuerunt, unde & earum origo a spasmis petenda videbatur.

Hoc in casu mistura N°. 12. non tantum promovit sputa, sed & spasmos solvit, & omnes anxietates brevi sustulit.

Si ſpaſmi uſu miſturæ N°. 12. non ceſſarunt, tunc eidem miſturæ addi debuerunt guttæ XX. laud. liquid. SYDENHA. quod mox omnem turbationem ſedavit.

Vera peripneumonia tres ægri hoc menſe obierunt.

Bini ex his ſtatim in initio morbi vires habuerunt admodum proſtratas, reſpirationem laborioſiſſimam, linguam plumbeam, ſitim nullam, delirium continuum, pulſum parvum, inæqualem, molliſſimum, urinam coloris penitus naturalis, oblata ægerrime aſſumpſerunt.

Qua vehementia morbus incepit, eadem in quartum diem ſine ulla mutatione perduravit.

Quarto autem die omnia pejora facta ſunt, pulſus intermiſit, acceſſit profundus ſopor, reſpiratio fuit denſiſſima, urina naturali longe tenuior, tuſſis brevis, frequens, nec veſicantia, nec medicamenta, quacunque ſub forma exhibita, ullum levamen adtulerunt, neque unquam mens, ſopore ſuppreſſa ſerenior facta eſt.

Sexto die reſpiratio ſolis narium alis, ſcapulis, & claviculis peragebatur, alvus pauca, fœtidiſſima, nigra, fre-

quenter in lectum dimittebatur, mox ortus est sudor foetidus, glutinosus, in extremis, & facie frigidus, tandem finiente sexta die facie, tota livida, & tumida, vis vitae subito evanuit.

Pulmones sectione anatomica, sanguine infarcti, & pro maxima parte gangrenosi, reperti sunt.

Tertius aeger ad nonum usque diem sat bene se habuit, sputa rite prodierunt, & iisdem, quoniam symptomata omnia leviora fuerunt, perfecta crisis videbatur futura.

Verum nono die praeter manifestam causam, tussis sicca, violentissima, hunc aegrum invasit, secuta est inde larga haimoptoë, dein summa virium prostratio, anxium & breve respirium, sopor, tandem rigor, tetanus universalis, & subita mors.

Aspera arteria fuit sanguine grumoso plenissima; inter piam matrem, & cerebrum in parte dextra capitis, sanguis quoque grumosus, copiosissimus extravasatus erat.

In facie, & in toto corpore omnes musculi post mortem adhuc fuerunt violentissime tensi, rigidissimi.

Vesica urinaria detegebatur urina plenissima, neque ulla pressione potuit eva-

cuari, neque catheter in eam intromitti; etenim circa vesicæ collum obstaculum durissimum repertum est.

Re tamen bene considerata solo spasmo collum vesicæ in osseam fere duritiem contractum videbatur. In toto morbi decursu æger nunquam urinæ mittendæ difficultatem conquestus est.

An circa mortem spasmus vesicæ collum occupavit?

Qui vera peripneumonia laborarunt, hi circa vesperas non adeo manifestas, & magnas febris exacerbationes passi sunt, ut ii, qui febre catharrali, glutinosa decubuerunt.

Hi ægri tota die admodum mitem habuerunt febrem, neque magnam sitim conquesti sunt, neque respiratio fuit valde læsa, tussis autem fuit frequens, urina naturali paulo coloratior cum nubecula fundum petente, os glutinosum, appetitus aut deletus, aut exiguus.

Primis diebus omnia symptomata fuerunt valde levia, & ægri simplici catarrho sese affectos crediderunt, unde neque remedia assumpserunt, neque adeo sollicite evitarunt aëris injurias.

Sensim tamen debiles facti sunt, tussis fuit frequentior, & respiratio brevis

ac difficilis ; hinc extra lectum se non amplius potuerunt sustinere.

Demum vespertino tempore omnia pejora esse cœperunt : ortæ sunt horripilationes , dein sequebatur ingens calor , sitis magna , anxia respiratio , tussis frequens , membrorum , & totius corporis inquietudo , capitis dolor acutissimus , & haud raro delirium.

Decrescente calore sentiebatur per universam cutim mador , dein fœtidus & tenax sudor ; tandem remisit anxietas , sitis , tussis fuit liberior , quandoque & sputa glutinosa cum ægri levamine prodierunt.

Urina incipiente horripilatione fuit tenuis , orto calore russa , aut flammea , superveniente sudore fuit aut tenuis , subviridis , & valde fœtida ; aut fuit turbida , crassa , & tunc crassum , tenax , glutinosum sedimentum deposuit.

Quidam cessante hoc paroxysmo sponte in profundum , & quietum somnum inciderunt , & inde multum reficiebantur , & vigiles mentem habuerunt admodum erectam , hilarem , vires bonas.

Alii autem post paroxysmum debiles , & inquieti fuerunt , & inani tussicula exagitati sunt , atque his opio somnus conciliari

conciliari debuit. Etenim insomnes si relicti erant, tunc adeo debiles reddebantur, ut in sequentibus paroxysmis fere succubuerint.

Qui durante paroxysmo habuerunt pulsum valde plenum, & durum, sitim magnam, faciem inflatam, rubram, linguam siccam, oculos sanguine suffusos, lachrymantes, protuberantes, splendentes, & multo cum labore respirarunt, quique nulla adhuc sputa cocta egesserunt, & qui cessante paroxysmo pulsum adhuc satis fortem, & plenum conservarunt, iis vena repetitis quandoque vicibus secari debuit.

Sanguis e vena missus subinde crustam gessit densam, tenacem & vere inflammatoriam.

Sæpissime autem crassa, mucosa, & variegata membrana in placentæ superficie conspiciebatur.

Qui in paroxysmo, & post paroxysmum admodum debiles fuerunt, quique pulsum semper parvum & inæqualem habuerunt, iis venæ sectio nocuit.

Vespertinæ hujus febris exacerbationes cortice peruviano nequaquam mitigari potuerunt.

Accidit autem in pluribus ægris, ut tales exacerbationes per diem sæpius

redierint, & ut ægri omnia tertia, quartave hora leve frigus, dein calorem conquesti sint.

Pulsus tunc observabatur longe celerior, sitis major, facies rubicunda, respiratio celeris, laboriosa.

Tales exacerbationes ultra horam nunquam durarunt, subinde iterum intra aliquot minuta subsederunt.

Plurimis in ægris cortex peruvianus maxime profuit; etenim licet paroxysmi non semper integre fuerint suppressi, symptomata tamen omnia adeo mitia inde sunt reddita, ut vires mox fuerint robustiores, & ægri ejecerint sputa copiosa, cocta.

Aliquibus tamen, qui sat violentos, & frequentes paroxysmos, seu exacerbationes passi sunt, cortex peruvianus nullum levamen adtulit, neque nitrosa, diluentia, antiphlogistica orgasmum potuerunt compescere, neque opiata mitigare tussim.

Imo tussis fuit adeo vehemens subinde, ut haimoptoën fuerit minitata.

Unde venæ sectionibus, subinde aliquoties iteratis, nulla diei, aut temporis habita ratione, opus fuit; ægri quidem, aliunde debiles, inde magis dejecti sunt; verum posthac minores

fuerunt exacerbationes, & opiatis somnus potuit adferri.

Sanguis e vena missus semper fuit densus, & crustam habuit inflammatoriam, licet nullius topicæ inflammationis signa essent observata.

Etenim cessante exacerbatione, respiratio satis libera fuit, & pulsus vix febrilis, neque durus, nec suppressus, sitis pauca, facies pallida, tussis tantum per vices violenta, titilatoria.

Omnes hi ægri, si prodeunte sputo cocto & copioso, levamen senserunt, sique febris remisit, solis sputis perfecte judicati sunt.

Si vero prodeunte sputo levamen aut plane nullum, aut valde exiguum perceptum est, tunc incerto quodam die miliaria alba, vel sola, vel rubris permista proruperunt, quibus pulchre elevatis, & copiose prostantibus, omnis anxietas evanuit, ægri statim sese longe melius habuerunt, & cessavit febris, neque sputa inde imminuta sunt, aut suppressa.

Aliqui tamen, qui sputa copiosa citra levamen ejecerunt, eo tempore, quo miliaria videbantur proditura, largo, fœtido, & glutinoso sudore allevati

ſunt, licet tunc nulla exanthemata comparuerint.

An in his materies exanthematica ſudore diſſipata fuit?

Nihilominus exanthemata ſupervenientia curandi rationem nequaquam mutarunt; etenim iiſdem remediis, quibus antea ægri utebantur, ſedulo continuandum erat.

Curatio autem in omnibus his ægris ſimilis fuit.

Pectori ubique debebat proſpici, hinc decocta emollientia, reſolventia, & ſputum coctum educentia ubique requirebantur; & his ſolis plerique ſanati ſunt.

In ſolummodo, quorum vires nimium debiles fuerunt, præter hæc decocta neceſſe erat, præbere medicamenta leniter ſtimulantia.

Tempore exacerbationis ſemper opus fuit remediis nitroſis, & leniter paregoricis.

Ceſſante hac febre & tuſſi, multi fuerunt ægri, qui pondus in ventriculo, nauſeam & vomituritiones conqueſti ſunt, atque ideo & his debuerunt exhiberi purgantia, aut vomitoria, &c. ut priori menſe adnotatum eſt.

Quidam poſt talem febrem valde de-

biles fuerunt, magnam pectoris siccitatem perceperunt, & continuo sudore fere difluxere.

Remedia roborantia, & sudorem alias sistentia, nil juverunt, imo ægris majores excitarunt anxietates; sola autem nutrientia, parva quidem copia, sed repetitis vicibus exhibita, hic plurimum effecerunt.

Cremor avenæ mundatæ, cremor hordei, juscula probe nutrientia, oryza lacte vel jusculis incocta, lac bonum, & recens, optime conveniebant; his enim cessit pectoris siccitas, sudor, & mox increverunt vires.

Pueros, juvenes, & mediæ ætatis homines pleuritis hoc mense frequenter invasit.

Vagus plerumque fuit dolor pleuriticus, ita quidem, ut jam hoc, jam illud thoracis latus occupaverit.

Quandoque dolor fuit levis, neque respiratio multum inde lædebatur, neque febris admodum vehemens fuit, neque sitis magna.

Et his in casibus venæ sectione raro opus fuit, etenim solis infusis flor. samb. rhæad. verbasc. quibus addebatur paucum nitrum, vel stibium diaphoreticum non ablutum, vel sal prunellæ, &c.

& mel purum, vel ſyrupus quidam emolliens, largiter exhibitis, atque moderato lecti tepore, atque applicato plagæ dolenti cataplaſmate molli, totus morbus brevi potuit ſolvi.

Nam primo adhuc die lenis ſudor ſequebatur, & tunc dolor remiſit, & febris fuit minor, & ægri cœperunt dormire.

Remittente dolore plerumque tuſſis multo mitior facta eſt, ſubinde tamen perſtitit æque violenta, frequens, inanis, defatigans, & hoc ſi contigit, diacodiatis per epicraſin utendum fuit, ne irritata tuſſi ægri nimium debilitarentur.

Urina colorem habuit plerumque naturalem, & levem in medio geſſit nubeculam.

Lingua fuit humida, alba, genæ roſeæ, oculi erant rubri, aut turbidi.

Secundo die nullus dolor punctorius advertebatur, tuſſis raro ægros exacerbavit, neque magna pulſus celeritas, aut plenitudo, aut durities obſervata eſt, urinæ manſerunt naturales.

Tertius dies fuit ſecundo ſimilis.

Quarto die continuatis iiſdem remediis, vel ſimilibus haud raro oriebatur levis, & vagus horror, & mox æger

sudavit, & desiit febris, tussis & sitis.

Quorundam horum ægrorum urina quarto die turbata est, & posuit sedimentum furfuraceum, album; quorundam vero urina mansit coloris naturalis; & febre penitus cessante tenuis reddebatur, & fœtuit.

Hi ægri pauca vel plane nulla sputa reddiderunt; solo igitur sudore plerique judicati sunt.

Subinde tamen quarto die nulla facta est mutatio, & continuarunt eadem prorsus symptomata, quæ semper admodum levia erant usque ad sextum vel septimum diem, & tunc subito omnia ruerunt in pejus, dolor punctorius qui antea penitus siluit, denuo recruduit, & ægros majori violentia est aggressus; tussis & frequentior, & molestior fuit, increvit sitis, & pulsus deprehendebatur plenus, & valde durus, ut & respiratio valde anxia, multum dolens, celeris, caput vehementissimus dolor occupavit.

Unde ilico venæ sectio sat larga erat celebranda; præterea decocta emollientia, resolventia, antiphlogistica copiose, & frequenter exhibita sunt, & parti dolenti applicatum est cataplasma, aut fomentum emolliens, discutiens.

Si dolor & febris, facta venæ ſectione non remiſerunt, aut ſi remittentes brevi iterum vehementiores facti ſunt, tunc denuo largiter ſanguis fuit detrahendus, idque eodem die quandoque ter, quaterve, habita ratione virium, & ſymptomatum fieri debuit.

Evacuata debita quantitate ſanguinis, dolor penitus diſparuit, & febris erat longe mitior.

Tuſſis dein minus moleſta fuit, cœperunt ſputa prodire, & undecimo die febris perfecte deſiit, & ægri ſenſim convaluerunt.

Curatio ſolis remediis reſolventibus, & expectorantibus feliciſſime finita eſt.

Sanguis venæ ſectione extractus cruſtam inflammatoriam valde denſam habuit.

Urina, orta ſymptomatum exacerbatione, rufa, aut flammea fuit, dein aliquoties turbata eſt, & album, aut fuſcum ſedimentum dimiſit.

Quoniam dein in pluribus ægris obſervavi, febris, & doloris exacerbationem circa ſextum, vel ſeptimum diem contingere, tunc in aliis experiri volui, annon facta primis ſtatim diebus venæ ſectione, ſimilis paroxyſmus poſſet evitari, præcaveri.

Verum ægri inde debilitati ſunt, & exacerbationi ſexto vel ſeptimo die ſupervenienti vix ſuſtinendi erant, & tardius ſputa comparuerunt, & tuſſis fuit moleſtior, & morbus ad decimum quartum, aut decimum ſeptimum diem protrahebatur.

Unde concluſi, dein non amplius venam tundere, donec urgeat indicatio, hinc & temporis, & diei ratio nequaquam habenda erat.

Quoſdam ægros dolor pleuriticus tanta vi invaſit, ut ſtatim in principio peſſima adfuerint ſymptomata.

Etenim prægreſſo horrore mox caput vehementiſſime doluit, reſpiratio fuit ilico denſa, & præ nimio dolore fere impoſſibilis, ſitis autem penitus abolita, facies ſublivida, tumida, oculi protuberantes, lingua alba, cutis ſicciſſima, pulſus contractiſſimus, durus.

Celerrimum remedium his in circumſtantiis erat largiſſima venæ ſectio, quæ ſubinde dolorem migitavit, & reſpirationem fecit liberiorem, & magnam dein ſitim ægri conqueſti ſunt, qui antea nullam habuerunt; ſubinde vero prima venæ ſectio nil mutavit: unde poſt breve tempus denuo ſanguis largiſſima copia debuit detrahi.

Et tunc dolor plerumque nullum remisit, & ægri longe melius habuerunt; verum intra unam alteramve horam eadem prorsus symptomata redierunt, data licet fuerint copiosissima remedia antiphlogistica, diluentia, mellita &c. & externe licet cataplasmata, unguenta, & fomenta fuerint applicata.

Qua de causa, si ægrorum vires admiserunt, venam denuo tundere fuit necesse; idque haud raro, quinquies, sexties, & aliquoties septies intra binos dies factum est.

Et hac ratione contigit aliquoties, ut facta ultima venæ sectione omnia prorsus symptomata evanuerint, & integre cessaverit febris; unde his in circumstantiis aliquoties pleuritidem solis venæ sectionibus licuit jugulare.

Erant tamen casus, ubi venæ sectionibus sopire pleuritidem non potui.

Dum nimirum, facta venæ sectione unica, vires ægrorum ilico conciderunt.

Fuerunt enim plures, qui post venæ sectionem debiles anhelarunt, nec imminutus est dolor, nec respiratio fuit facilior, & pulsus, antea plenus, reddebatur parvus, inæqualis, & frequentes leipothymiæ hos ægros divexabant.

Ab ulteriore vero venæ sectione tunc summopore erat cavendum licet dolor inflammatorius, & respiratio inde valde læsa eandem dicassent.

Decoctis emollientissimis, quibus sub finem coctionis herbæ leniter aromaticæ addebantur, & cataplasmatibus aut fomentis externis tunc pugnandum erat.

Et si tussis nimium molesta fuit, aut dolor nimium magnus, tunc omni bihorio, aut trihorio unciam dimidiam syrupi dracodii exhibere necesse erat.

Tandem si dolor intra unum, alterumve diem non cessavit, aut multum decrevit, latum vesicans plagæ dolenti applicatum est, quod intra tres, quatuorve horas omnem dolorem abstulit, aut eundem adeo levem reddidit, ut ægri vix quidquam amplius perceperint.

Virum, & puellam pessima pleuritide laborantes, nec remedia, nec vesicantia juverunt, unde inflammatio brevi abivit in suppurationem.

Vir, facta a peritissimo chirurgo HAFFNER thoracis paracentesi, felicissime restitutus est.

Puella, a sacco purulento jam fere suffocata, tandem paracentesin fieri,

admisit, verum pus prodiens valde foetuit.

Nihilominus per binos dies ægra multo melius habuit, liberius respiravit, quiete dormivit, & pulsus tranquillus fuit.

Verum tertio die subito sublime respiravit, pulsus factus est celerrimus, & mollis, in facie observabantur crebræ caloris, & coloris mutationes, sitis fuit ingens, tandem extrema fiebant gelida.

Periculosissima hæc signa pessimam formarunt prognosin, & septimo die mors secuta est.

In thoracis cavitate sinistra reperiebatur foetidissimus ichor, & pulmo ejusdem lateris gangrænosus.

Ægri, qui cessante dolore punctorio, & prodeunte sputo copioso continuam tamen pectoris oppressionem conquesti sunt, & tussitarunt frequenter, & delirarunt sine magna febre, nullum levamen perceperunt usque dum decimo quarto, vel decimo quinto, vel subinde vigesimo die, aut die non critico copiosa miliaria alba proruperunt.

Et tunc ilico pulsus fere naturalis factus est; & respiratio fuit liberrima, cessavit ingrata tussitatio, tussi tamen pleniore sputa bene cocta continuarunt

prodire; unde orto simili exanthemate his ægris adferebatur salus.

Qui debiles fuerunt, & sputa paulo difficilius egesserunt, his præter decocta, & infusa pectoralia dabatur claret. N°. 13.

Si nulla habita pulsus, & virium ratione ob solum dolorem pleuriticum venæ sectiones nimium frequentes instituebantur, tunc ægri in pessimum periculum conjecti sunt.

Etenim licet febris fuerit valde mitigata & fere sopita, vires tamen summopere prostratæ sunt, & tussis reddebatur valde frequens, inanis, defatigans, ægri abhorruerunt a cibis, nec quidem dato quamvis opiato vespertino, dormiverunt, unde cœperunt contabescere.

Remedia quæcunque tentata momentaneum quidem quandoque levamen adtulerunt, sed causam mali tolere nequaquam potuere.

Quidam ex his tabe obierunt, quidam vero post violentissimam tussim & convulsivam anxietatem sputa oblonga, tenacia, polyposa, vasorum figuram referentia, & copioso sanguine mixta extorserunt; hæc si continuarunt per unum, alterumve diem, tunc cessavit

dolor obtusus, & siluit tussis, & tandem tales ægri cura lactea & cibis probe humectantibus, nutrientibus integre restituti sunt.

Vinum generosum, in quo panis biscotus aliquamdiu maceratus est, bis de die pauca dosi exhibitum ad vires restituendas, multum contulit.



MENSIS JANUARIUS. 1760.

MULTI febre continua putrida laborarunt.

Omnes habuerunt pulsum statim in principio debilem, sitim magnam, caput grave, faciem rubram, linguam albidam, tremulam.

Horrore spinam dorsi pervagante, & dolore capitis morbis incipit; appetitus erat sine nausea deletus, respiratio autem libera.

Delirium admodum leve quandoque observatum est; urina fuit ex flavo rubra, alvus quibusdam quotidie, quibusdam vero omni altero, vel tertio die prodiit; neque inde ægri angebantur, hinc non erat opus eam enemate, aut suppositorio sollicitare.

Noctes fuerunt satis pacatæ.

Ægri, a primo usque ad septimum vel undecimum diem manserunt in eodem statu, & nil in pejus, neque in melius mutatum est.

Verum septimo, vel undecimo die absque manifesta crisi omnia symptomata remiserunt, cessavit febris; pulsus fortior, & liberior deprehensus est, & rediit appetitus.

Urina nunquam posuit sedimentum, neque unquam turbata fuit.

Et eo die, quo febris desiit, naturalem habuit colorem, & odorem.

Nulli horum ægrorum vena secta est, quoniam pulsus & virium debilitas repugnavit.

Serum lactis vinosum, & mistura N. 1. pro medicamento, & potu ordinario optime inserviverunt, & vires, quantum erat possibile, conservarunt.

Eadem mistura N. 1. etiam cessante febre continuabatur; etenim observatum est, ejus usu continuo vires rediisse citius.

Febres catarrhales, pleuritides, peripneumoniæ hoc mense quoque multum grassabantur.

Peripneumonia pleuritidi perfrequenter juncta est.

Iteratæ venæ ſectiones hic maxime locum habuerunt.

Symptomata prorſus eadem fuerunt, quæ menſe præcedente enarrata ſunt, hinc & eadem curandi methodus feliciſſimos habuit effectus.

Sputa rite procedentia multis ilico magnum levamen adtulerunt, & undecimo die, aut die decimo quarto, orto leni ſudore, & prodeunte urina craſſa, fœtente ſequebatur perfecta judicatio.

Qui vero a ſputo copioſo, & bene cocto, allevati non ſunt, his decimo quarto, aut decimo ſeptimo die majori cum levamine ſupervenerunt miliaria alba, quæ quarto ab eruptione die inceperunt exſiccari, & tunc deſiit febris, & increverunt vires.

Ex his tamen fuerunt ſex, qui prodeuntibus copioſis exanthematibus magnum quidem habuerunt levamen, & exanthematibus exſiccatis, ac deſquamata cute his quoque deſiit febris, & viguit appetitus; verum nec redierunt vires adeo bonæ, ut aliis ægris; oculi manſerunt minus vivaces, turbidi, & omnes adhuc pectus oppreſſum conquērebantur, ſentiebant obtuſum in ſterno dolorem, & credebant os ſterni torculari

versus interiora pectoris premi, & continuo tussitarunt.

Respiratio tamen non fuit valde difficilis, aut laboriosa; verum vi fortiori & pleno pectore peracta dolorem acutum ad costarum limbum, & circa hypocondria excitavit.

Optimo cum appetitu hi ægri cibos assumpserunt, neque magnum inde gravamen percepere, neque siti vexati sunt; pulsus fuit sat liber, æqualis, neque intra centum ictus magna differentia potuit observari.

Urinæ autem erant crudæ, inodoræ, & fæces duræ, nigræ.

Pondus opprimens thoracis, oculi minus vivaces, & vires semper debiles præsagiebant manifeste materiam morbosam adhuc in his ægris latere.

Qua de causa solo victu tenuiori, attamen sufficiente hos ægros sustentavi, & præter lenia infusa ex hædera terrestri, veronica, scabiosa eis exhibui misturam N. 1. & quoniam ex horum usu ægri sat bene se habuerunt, & quoniam omnia pacata videbantur, fortioribus medicamentis naturam non volui turbare.

Contigit dein, ut bini ex his ægris octavo die, quo a priore febre liberi erant, magnum dolorem capitis, sitim

validam, & appetitum deletum conquesti sunt, atque pulsus cœpit agitari, & urina prius tenuis & cruda, nunc crassa, & valde rubra comparuit.

Tertius æger nono die percepit symptomata eadem, reliqui tres autem die undecimo.

Hinc omnes passi sunt recidivam.

Secundus recidivæ dies erat longe pejor, quam primus; nam vires penitus prostratæ sunt, febris fuit valde magna, sitis non delenda, lingua fusca, arida, respiratio laboriosa, urina crassa, jumentosa, stranguriosa.

Noctes fuerunt admodum inquietæ, anxiæ.

Tertio die accessit continuum delirium, sopor, & perpetua membrorum jactatio, urina, & alvus præter voluntatem in lectum dimittebantur.

Unde ilico nuchæ, & suris adplicata sunt vesicantia, & præter tenuia jufcula, & infusa leviter aromatica data est mistura N. 8.

Circa principium quarti diei lethales oriebantur anxietates, pulsus frequenter intermisit, extrema fuerunt frigida.

Verum hæc pessima signa vix per octavam horæ partem durarunt.

Nam mox rediit extremorum calor,

ſecutus eſt per univerſum corpus pruritus & ſudor, & prodierunt copioſiſſima miliaria alba.

His proſtrantibus diſparuit ſopor, delirium, reſpiratio fuit facillima, febris remiſit, & pulſus tangebatur longe liberior, fortior, & nox inſequens fuit quieta.

Omnes hi ſex ægri quarta die eadem prorſus ſymptomata experti ſunt.

Quinto, ſexto, & ſeptimo die ſat bene habuerunt, & febris fere penitus abſuit, & exanthemata dein cœperunt exſiccari.

Urina tunc fuit virideſcens, & poſt horam peſſime fœtuit, & ſigna ſalis alcalini exhibuit, alvus, qui tunc reddebatur, bilioſa fuit, & admodum fœtida.

Poſt quartum diem multis medicamentis hos ægros torquere, non erat neceſſe; levia infuſa, juſcula tenuia ſuffecerunt; ter ſolummodo per diem datum eſt cochlear unum ex mixtura N. 8.

Neque opus fuit paregoricis ſomnum conciliare, etenim ſine his noctes erant quietæ, reficientes.

Undecimo die omnes fuerunt extra periculum, & ſolis nutrientibus mox

tantas recuperarunt vires, ut intra paucos dies potuerint ex nosocomio discedere.

Hoc mense unicum habuimus ægrum, qui petechiis laboravit.

Primis binis diebus obtusum capitis dolorem conquestus est, noctes fuerunt anxiæ, insomniis turbatæ, pulsus nec nimium febrilis, nec plenus, nec fortis, vires languerunt. Lingua fuit plumbea, urina rufa, & prodeundo ardorem in urethra excitavit, appetitus penitus deletus, sitis mediocris.

Pro potu & medicamento dedi serum lactis vinosum.

Tertio die circa vesperas horror invadit ægrum, & extrema fiunt gelida, oritur major sitis, & pectoris anxietas, post horam sequitur calor ingens, dein sudor copiosus, fœtidus.

Nox fuit admodum inquieta.

Quarto die æger fuit debilis, pulsus valde celer, parvus.

Circa vesperas iterum accessit horror, dein calor, demum sudor, & nox denuo fuit inquieta.

Unde ilico præter serum lactis vinosum exhibui misturam N. 20.

Quinto die inter deglutiendum æger acutum dolorem percepit, & fauces profunde rubebant.

Virium debilitas nullam admisit venæ sectionem , oculi tristes , inæqualis respiratio , & anxietas malam prognosin effecerunt.

Circa vesperas rediit horror , calor , dein sudor, verum horum symptomatum vehementia fuit longe minor.

Nox valde inquieta fuit , & æger multum deliravit , paregoricum datum nil juvit.

Sexto die in faucibus videbantur ulcera nigra , fœtida , partes carnosas profunde exedentia.

Corticis peruviani dosin ideo auxi , & sero lactis addidi spiritum sulphuris per campanam , & syrupum diacodii.

Præterea saturatum infusum herbæ marubii & scordii , cui magna copia mellis rosacei , & spiritus salis acidi addebatur , syringa in fauces injici curavi , ut hac ratione ulcera mundarentur , & ab ulteriore arrosione defenderentur.

Sæpius dein per diem eadem ulcera medicamento N. 21. obliniebantur.

Vespertinæ exacerbationes erant admodum leves , nox tamen turbata , anxia.

Septimo die febris fuit mitis , verum vires debiles , sitis magna , delirium frequens , & supervenit sopor.

Dolor in deglutiendo fuit minor & ulcera fuerunt puriora, nec amplius vicinas partes arroserunt.

Iisdem medicamentis diligentissime continuatum est.

Vesperi nec horror rediit, nec febris exacerbata est.

Æger autem nocte erat in perpetuo delirio, urinam inscie dimisit, fuit valde soporosus.

Unde nuchæ, & suris vesicantia denuo applicata sunt.

Nono die fauces erant satis nitidæ, reliqua autem æque malo in statu inveniebantur.

Pulsus, licet fuerit debilis, æqualis tamen semper erat, & sat liber, neque respiratio admodum laboriosa fuit; & hæc erant, quæ aliquam contra tam gravia symptomata spem foverunt, cætera omnia mortem præsagiebant.

Etenim vesicantia, quamvis valde acria, nil operata sunt.

Decimo die fauces erant bonæ & naturalem habuerunt colorem, & deglutitio fuit satis libera, vires tamen mansuerunt languidæ, mansit profundus sopor, & æger urinam, & fæces foetidissimas inscie in lectum dimisit.

Renuit corticem peruvianum quacunque forma exhibitum.

Quare, gangræna jam ſuppreſſa, a cortice abſtinui, & exhibui claretum N. 3.

Mox pulſus videbatur major, & vires augebantur.

Nihilominus nox fuit valde inquieta, anxia.

Undecimo die abſque perturbatione æger fuit plenus petechiis, & ea loca, quibus oppoſita ſunt veſicantia, & quæ hucuſque ſicca erant, cœperunt ſerum glutinoſum tranſudare, & ſeceſſit cuticula.

Reſpiratio fuit mox liberior, non tamen naturalis, & pulſus majores habuit vires, ſopor videbatur minor.

Nox fuit magis pacata.

Duodecimo die æger frequenter deliravit, & fuit ſoporoſus.

Nox dato paregorico quieta reddebatur.

Decimus tertius dies ſimilis fuit duodecimo.

Nox autem fuit admodum turbata, licet paregoricum daretur.

Eadem ſemper medicamenta data ſunt.

Decimo quarto die novæ ſupervenerunt petechiæ, & tunc ceſſavit omne delirium, mens rediit, reſpiratio fuit

liberrima ; pulsus æqualis, vix febrilis ; vires multo majores.

Nox fuit quieta.

Decimus quintus dies pacate transigebatur, & petechiæ lætissimæ rubuerunt.

Urina, iterum vase excepta, fere naturalis fuit ; alvus autem prodiit liquida, biliosa, valde fœtida.

Decimus sextus dies fuit æque bonus, & petechiæ cœperunt pallere.

Nox fuit quieta sine paregorico.

Decimo septimo die evanuerunt petechiæ, æger optime habuit, appetiit, & omnis febris cessavit.

Nihilominus clareto N°. 3. in vigesimum diem æger uti continuavit, & pro potu dedi serum lactis vinosum.

Vires cito restaurabantur.

Vigesimo primo die exhibui haustum purgantem ; dein carnes concessi.

Vigesimo quinto die sanus nosocomium deseruit.



MENSIS FEBRUARIUS.

1760.

FEBRES catarrhales frequenter hoc quoque mense observatæ sunt.

Remedia emollientia, mellita & quandoque

doque lenia ſtimulantia ad omnia ſymptomata debellanda ſuffecerunt.

Quibuſdam ceſſante tuſſi circa decimum quartum, aut decimum ſeptimum, aut vegiſimum diem miliaria alba apparuerunt, & mox febris ceſſavit, & inde ægri ab omni periculo liberi videbantur.

Neque horum exanthematum magna ſollicitudo gerenda erat; ſola diluentia, leniter aromatica, quibus inſenſibilis tranſpiratio conſervabatur, plurimum conduxerunt.

Quibuſdam vero exanthematum loco erupit ſudor fœtidus, linteamina fuſco & ſubflavo colore tingens; & tunc quoque febris remiſit, diſparueruntque omnia mala ſymptomata, & rediit ſalus.

Ex urina nil erat judicandum, etenim incertis diebus turbata eſt, & craſſum poſuit ſedimentum ſine ægrorum levamine.

Plerumque autem vel tenuis fuit, vel rufa.

Febris acuta putrida multos quoque ægros detinuit, & hi erant a tuſſi liberi.

Symptomata vero ſtatim a primo die fuerunt vehementia: etenim tota facies rubuit, caput, ingens dolor prehendit, lingua fuit ſicca, urina flammea, aut jumentoſa, reſpiratio vero non multum

læsa, sitis magna, pulsus celerrimus, fortis, durus, ast æqualis simul.

Hæc symptomata videbantur semper ruere in pejus, & ægri a nullo medicamento levamen habuerunt. Noctes fuerunt inquietæ.

Quarto die supervenit sopor, & continuo somno ægri opprimebantur, vi tamen excitati ea, quæ offerebantur, sine magno renixu assumpserunt, ad rogata sat apte responderunt, verum sibi relicti iterum in profundum somnum incidebant, & traxerunt ronchos.

Urinam & fœces semper inscie dimiserunt.

Pulsus autem, licet multum febrilis, nunquam tamen inæqualis deprehensus est, & fuit semper sat robustus, & respiratio mansit quoque satis libera.

Nox ante quintum diem dato paregorico fuit valde pacata.

Dies quintus autem malus.

Nox ante sextum diem quoque tranquilla fuit; dies autem sextus æque malus fuit ac quintus.

Nox ante septimum diem fuit maxime inquieta, ægri vi ex lecto surrexerunt, stragula abjecerunt, & nequaquam passi sunt tegumenta, nil assumpserunt, & totum corpus, atque omnia membra jactitarunt continuo.

Tandem debiles inceperunt profundissimo somno teneri, & per duas, tres, quatuor, & quidam per quinque horas quietissime dormiverunt, tandem expergefacti, nullius horum symptomatum erant conscii, & optime se habuerunt.

Et eodem die fere in omnibus febris subito desiit, in paucissimis mansit quædam lævissima pulsus agitatio, quæ sensim usque ad undecimum diem penitus conquievit.

Eodem die, quo febris cessavit, rediit appetitus, ægri fuerunt alacres, & vires satis bonæ.

Nulla manifesta evacuatio critica observabatur, lenis erat septimo die transpiratio, alioquin cutis semper fuit sicca.

Hoc morbo, licet multi decubuerint, nullus tamen inde mortuus est.

Curatio sine multis medicamentis felicissime peragebatur.

Quoniam omnes in principio pulsum habuerunt plenum, fortem, & durum necesse erat omnibus, habita ratione virium, repetitis vicibus secare venam.

Remedia antiphlogistica ab initio morbi usque ad finem indicabantur; hinc solum serum lactis, decoctum hordei crudi cum nitro, & melle, decoctum

rad. ſcorzon., gram., acetoſ. &c. totum morbum potuerunt ſubigere.

Dum acceſſit profundus ſopor, magna anxietas, & delirium frequens, veſicantia requirebantur.

Si autem hæc ſymptomata mitiora fuerunt, tunc epiſpaſtica ſuris applicata ſufficiebant.

Paregorica veſpertina ante quartum diem nil juverunt, imo magis noctes turbarunt.

Febris petechialis hoc menſe frequenter obſervata eſt.

Hæc autem adferebatur à quibuſdam Italis, qui ab exercitu huc advenerunt, & duxerunt mulos.

Ægri ſtatim ſub initium habuerunt levem horrorem, dein languerunt, caput totum obtuſé doluit, pulſus fuit parvus, non admodum febrilis, ſitis mediocris, lingua glutinoſa, urina craſſa, ſubrubra, & quidam anxia præcordia, os glutinoſum, amarum, & continuum vomendi conatum conqueſti ſunt.

Secundo, & tertio die ægri non fiebant pejores, & alvus, ſponte prodiens, fuit fuſca, pultacea, fœtida.

Noctes erant anxiæ, turbatæ inſomniis.

Quarto die vires magis proſterneban-

tur; febris tamen major non est orta; supervenit frequens delirium, sopor, & lancinans per omnia membra dolor, & anxia respiratio.

Lingua fuit plumbea, tremula, sitis ingens, urina erat crassa, fusca, alvus admodum fœtida, biliosa; verum nec copiosa, nec frequens, nisi in binis ægris, quibus quarto die accessit diarrhæa biliosa, quæ adeo sæva fuit, ut animi deliquium, & extremorum frigus, & ingentes dolores colicos produxerit.

Unde laudano liquido SYDENHAMI bis, terve per diem ad guttas XII. vel XVI. dato, mitigari debuit.

Quinto die quidam erant admodum soporosi, & delirarunt continuo, & his urina, & alvus citra voluntatem in lectum prodiit.

Aliqui vero per intervalla fuerunt sibi satis præsentes, & petierunt matulam.

Urina fuit crassa, subfusca, alvus fœtida, pultacea, in binis autem ægris diarrhæa sat mitis continuavit.

Sextus dies fuit similis diei quinto.

Septimo die in toto corpore, excepta facie, fere omnibus his ægris prodierunt petechiæ, sat boni plerumque coloris.

Paucum inde levamen perceptum est;

ſola anxietas, & reſpirandi labor leviores videbantur.

Qui ſeptimo die non habuerunt petechias, iis prodierunt die undecimo.

Petechiæ ſeptimo die prodeuntes cœperunt die undecimo diſparere, & tunc jam febris penitus ceſſavit, rediit mens, & increverunt vires, neque ullum amplius periculum aderat; & decimo tertio, aut decimo quarto die nulla prorſus petechiarum ſigna amplius ſupererant.

Petechiæ autem undecimo die prodeuntes diſparere cœperunt die decimo quarto maximo cum levamine omnium ſymptomatum, & decimo ſeptimo die aderat ſanitas.

Bini ægri, qui quarto die in diarrhæam inciderunt, ſatis mitia ſemper habuerunt ſymptomata, & ſeptimo die ſponte ſiſtebatur dierrhæa, & deſiit febris integre.

Nec viſæ ſunt petechiæ, licet ex ſignis, & ſymptomatibus, quæ hi cum aliis ægris communia habuerunt, has prodituras fuerim ſuſpicatus.

Verum hi erant per aliquot dies debiles; dein autem appetierunt, & brevi convaluere.

Ex tot ægris, petechiis laborantibus, unicus obiit, & neque hic vi morbi,

ſed vi animi pathematum ſuppreſſus eſt; etenim ex periculoſiſſimo morbo convaleſcens, vidit ſe a ſuo ſocio omnibus ſuis pecuniis ſpoliatum, unde mox patiebatur recidivam, ferociter deliravit, maxime anxius fuit, neque oblata aſſumpſit, vires habuit debiliſſimas, & quarto die convulſus obiit.

Ægris, qui febre petechiali decumbebant, venam non ſecui, quoniam omnium vires erant debiles, & pulſus parvus.

Emetica autem neceſſario dari debuerunt iis, qui nauſeam, & oris amærorem, & præcordiorum anxietatem, a ſaburra, in ventriculo hærente, conqueſti ſunt, & omnes inde mox levamen perceperunt, & alacrius oblata dein medicamenta aſſumpſerunt.

Ob vires debiles medicamenta leniter ſtimulantia, ſtatim in principio morbi requirebantur; unde ſerum lactis vinoſum, vel miſtura N. 1. vel claretum N. 3. his ægris maxime profuerunt.

Qui autem admodum debiles erant, & ſoporoſi, his præter remedia vinoſa dabatur alternis vicibus miſtura N°. 8.

Inquietudines, membrorum jactationes, & noctes anxiæ paregoricis mitigabantur.

Soporosos vesicantia excitarunt.

Remediis, a primo morbi die datis, ad finem usque continuatum est, quoniam eadem semper mansit indicatio; imo cessante febre ad vires citius restaurandas eadem remedia per plures adhuc dies optimo cum effectu sunt adhibita.

Unicus erat æger, qui superato morbo petechiali, tussi ferocissima correptus est, & raucam habuit vocem, a febre autem penitus liber fuit.

Decoctum N°. 4. datum, mitigavit tussim, dispulit raucedinem, & sputa reddidit mobilia. Verum vires ea egerendi erant debiles, hinc ortus est in pectore stridor. Dato autem clareto N°. 13. mox copiosissima prodierunt sputa, & hoc solo medicamento, & paregoricis vespertinis, intra duodecim dies æger a tussi liberatus est. Postea vero totus emaciatus usu lactis convaluit.

Antequam purgans post morbum daretur, carnibus vesci non licuit, vires enim inde languerunt, insurrexerunt ructus putridi, & deletus est appetitus cum horrore; dato autem antehac purgante ex rheo, tunc carnes, debita copia assumptæ, non nocuerunt.

Vinum quoque tunc datum multum juvit eos, qui vino antehac erant assue-

ti; aquæ vero potatoribus calores, & anxietates excitavit.

Tempus exhibendi purgans erat plerumque sextus, vel septimus, aut octavus post morbum dies.

Bini ægri, febre continua decumbentes, primis tribus diebus adeo levibus afficiebantur symptomatibus, ut morbus nec periculosus, nec longus futurus videretur.

Verum quarto die præter rationem omnia ruerunt in pejus. Et primus ex his ægris tunc admodum anxius factus est, sitim habuit maximam, facies erat livida, lingua tumida, purpurea, oculi concavi, pulsus celerrimus, inæqualis, exiguus, respiratio densissima, membrorum jactatio perpetua, urina prius rufa, nunc tenuis prodiit & brevi pessime foetuit.

Nec ex ullo remedio æger levamen sensit, noctes erant vigiles, & ob intolerabilem cordis tremorem æger jacere non potuit, & cogebatur trunco erecto, aut in anteriora inclinato, sedere, & semper gemuit, extrema plerumque friguerunt, & gelido sudore maduerunt, circa præcordia erat perpetuus ardor, nullum autem acutum dolorem conquestus est, sub finem sexti diei obiit.

Aperto cadavere reperimus pulmones, grumoso sanguine infractos, & cordis apicem sphacelo penitus corruptum.

Ventriculi cordis crassos sanguinis grumos continuerunt.

Alter autem æger nec adeo anxie respiravit, nec pulsum habuit adeo exilem, & potuit decumbere.

Verum sitis fuit æque magna, & urina quoque tenuis facta est, & in ventre oriebatur dolor acutissimus, & supervenit frequens animi deliquium cum extremorum frigore, noctes quoque ob continuum delirium, & ob perpetuam membrorum jactationem insomnes, & anxiæ fuerunt, respiratio autem fuit satis pacata.

Vesicantia neque in hoc, neque in priori ægro ullum effectum præstitere, cataplasmata ventri applicata dolorem paulisper mitigarunt, interna autem remedia juverunt nihil.

Septimo die æger soporosus fuit, & & intumuit venter, nono die rediit æger ad se, nec deliravit, & se magnum sentire levamen aiebat.

Verum facies erat pallida, nasi apex frigidus, oculi concavi, vires parvæ, lingua tremula, extrema frigida, & viscido sudore madida, pulsus exilis,

inæqualis, frequenter intermittens.

Orti ſunt borborygmi, & prodierunt flatus fœtidiſſimi, tandem prodiit urina, & alvus putridiſſima, æger incidit in animi deliquium, & periit.

Inteſtina plurima erant gangrænoſa.

Lobus medius pulmonis ſiniſtri, ea parte qua dorſum ſpectat, quoque putridus, & gangrænoſus fuit; hic tamen æger nunquam tuſſivit neque laborioſe reſpiravit.

Ambobus his ægris a quarto morbi die ad finem uſque datus eſt cortex peruvianus magna doſi, præter alia medicamenta, gangræna tamen impediri non potuit.



MENSIS MARTIUS.

1760.

FEBRE continua multi decubuerunt; vires ſtatim in principio in pleriſque fuerunt debiles, & anxia reſpiratio, ſitis magna, lingua alba, aut fuſca, & ſicca, urina fere ſemper flammea, caput, ſpina dorſi, & artus dolore dilacerante continuo torquebantur.

Circa veſperas ſemper exacerbata ſunt

ſymptomata, & ægri delirarunt, & jacuerunt admodum inquiete.

Omnes hi ægri leni ſtimulo opus habuerunt, hinc pleriſque data eſt mixtura N. 1. aut claretum N. 3. valde debilibus autem miſt. N. 8.

Lenia paregorica, veſperi, & quandoque interdiu exhibita, vim ſymptomatum diminuerunt, & ægris attulere levamen, attamen ante ſeptimum diem iis ſomnus quietus non potuit conciliari.

Imo, ſi paulo fortiori doſi data ſunt remedia paregorica, tunc turbarunt noctes, reddiderunt ægros magis inquietos, anxios, ſoporoſos, & ſequenti die tales ægri manſerunt debiles, ſomnolenti, deliri.

Septimo die plurimis prodierunt miliaria alba copioſiſſima, prægreſſo ſudore, & ingenti pruritu per univerſum corpus.

Dolor capitis, artuum, & ſpinæ dorſi tunc ſiluit, & remiſit ſitis, & noctes paregorico licuit quietas reddere, nec amplius ægri delirarunt.

Verum febris manſit æque magna, manſit reſpiratio difficilis.

Urinæ fuerunt ſubfuſcæ, flocculentæ, ſine ſedimento, alvus vel quotidie,

vel alterno die sponte prodiit, bene cocta.

Iisdem remediis, quæ statim in principio morbi data sunt, semper continuatum fuit.

Undecimo die miliaria erant minus pellucida, & cœperunt exsicari, & tunc eodem die, vel die duodecimo, vel decimo tertio supervenit tussis satis violenta.

Quidam orta tussi ilico sputa copiosissima, crassa, glutinosa, rejecerunt, & tunc remisit febris, & respiratio multum emendata est. Decoctum N. 4. & paregorica vespertina hos ægros plurimum juverunt.

Qui vero ad egerendum sputum nimis debiles fuerunt, eos juvit claretum N. 13.

Quandoque tamen ægri irritata, & frequentissima tussi vexati sunt, conquerebantur faucium, & totius pectoris siccitatem, & ossis sterni ardorem, & ortus est magnus dolor circa hypochondria, & respiratio fiebat difficilior.

Decoctum N. 22. vel linctus N. 23. omnia symptomata brevi mitigarunt, & tussis fuit longe minus molesta, & intra binos, ternosve dies cœpit materia puriformis prodire; unde tunc de-

cocto N. 22. addebatur, loco syrupi diacodii, oxymel simplex vel oxymel scilliticum, vel hujus decocti loco dabatur decoctum N. 4. vel, si vires defecerunt, claretum N. 13.

Durante hoc morbo nunquam licuit paregorica vespertina intermittere, nam sine his noctes fuerunt anxiæ, & ægri irritata tussi defatigati sunt.

Quandoque per binos, ternosve dies sputa copiosa, & optime cocta prodiere, postea vero pectus iterum videbatur siccum, & tussis erat inanis, & magnum in faucibus & sterno ardorem excitavit.

Unde tunc iterum redeundum fuit ad decoctum N. 22. vel ad linctum N. 23.

Verum quam primum sputa iterum mobilia fuerunt, tunc debebat exhiberi decoctum N. 4. vel claretum N. 13.

Hac ratione erat sæpius alternandum, usque dum tussis penitus cessavit, & respiratio libera fuit.

Multis ægris post diuturnam tussim supervenit sudor nocturnus, & corporis macies.

Infusum N. 24. & cremor hordei vel avenæ mundatæ, vel oryza cum lacte cocta, & juscula meraca, sæpius per

diem data, his restituerunt vires, & suppresserunt sudorem.

Quandoque opus fuit durante tussi dare purgans, dum nimirum ægri pondus circa ventriculum, nauseam, & os glutinosum conquesti sunt.

Drachma unica rhei plerumque suffecit.

Subinde tamen ægri a purgante nequaquam melius habuerunt, neque symptomata mutata sunt, hinc vomitorio hos aggredi necesse erat.

Grana viginti quinque radicis ypecacuanhæ, & quindecim grana salis absinthii magnam glutinis copiam repetito vomitu eduxerunt, quo facto, mox viguit appetitus, & anxietas præcordiorum disparuit. Cavendum tamen erat, ne nimio cibo subito ventriculus oneraretur, secus priora mox redierunt symptomata.

Febris acuta simplex hoc quoque mense frequenter observata est; verum symptomata erant levia, & maxime communia, hinc & simplex curandi methodus administrata fuit.

Binæ solummodo feminæ fuerunt, in quibus peculiare quid observare licuit.

Hæ habuerunt pulsum debilem, valde

celerem, respirationem sine tussi laboriosam, lingua fuit alba, humida.

Quæcunque his ægris offerebantur, ea lubentissimo animo assumpserunt, verum sua sponte nil petiere, nec responderunt ad rogata, nec ullum dolorem conquestæ sunt, morosissimæ videbantur.

Oculi erant torvi, semper fortiter distenti, & uni objecto pertinacissime affixi; somno tamen claudebantur; his vero magna opii dosis debuit conciliari. Inter dormiendum respiratio fuit liberior.

Post somnum eadem prorsus symptomata observabantur.

Ægræ alvum & urinam in lectum deposuerunt, nec, ut inde purgarentur, rogarunt, & in eodem, quo ponebantur ab adstantibus, situ immobiles semper jacuerunt.

Ex pulsu debili vires prostratas esse, facile concludebatur.

Hinc præter copiosa infusa & decocta diluentia ac leniter stimulantia exhibui misturam N. I.

Verum nil in pejus, nil in melius inde mutatum est, quoniam tamen eadem semper mansit indicatio, nolui præter rationem medicamenta mutare,

atque ideo eandem misturam semper præbui.

Septimo die suris vesicantia jussit adponi; verum neque his ulla mutatio facta est.

Nono die una ex his ægris circa horam sextam vespertinam toto corpore riguit, dein frequentissime gemuit, & orta est major febris, & calor; post binas horas febris exacerbatio iterum remisit, & sequebatur sudor copiosus, fœtidus, dein tranquillus somnus ægram occupavit.

Decimo die mane pulsus fuit parvus, & reliqua symptomata inveniebantur prorsus eadem.

Tempore vespertino circa eandem horam magna cum violentia iterum rediit paroxysmus, & hoc finito ægra valde debilis fuit.

Quapropter ilico corticem peruvianum larga copia exhibui.

Et undecimo die paroxysmus non amplius rediit; morbus autem prior nequaquam mutatus est.

Duodecimo die in usu corticis peruviani perrexi, verum vires erant admodum parvæ, & symptomata periculosa.

Decimo tertio die dedi claretum N. 3.

Decimo quarto die ægra ad se rediit,

incepit loqui, petiit cibos, & febris integre desiit, atque ab hoc die redierunt vires & valetudo.

Secunda ægra nullas febris exacerbationes passa est, neque ulla contigit mutatio usque in diem decimam septimam; & tunc pulsus erat naturalis, ægra respondit ad rogata, noctu sine paregorico dormivit, & brevi convaluit.

Hæc ægra toto morbi tempore nullum aliud remedium præter misturam N. 1. assumpsit.

Vir 34. annorum ex vehementi ira in febrem acutam incidit, vires mox prostratæ sunt, & pessima symptomata supervenerunt; tertio morbi die tendines totius corporis subsilierunt, respiratio fuit pessima, pulsus exiguus, intermittens, & cutis continuo, largo & vapido sudore maduit.

Omnis generis remedia interna, & externa summa cum sollicitudine exhibita nil prorsus levaminis adtulerunt & sub finem sexti diei, æger subito palluit, tetano universali correptus est, pessimum hoc symptoma ultra horam duravit. Triste erat videre hanc statuam immobilem; remittente tetano dirissimæ convulsiones secutæ sunt, quibus æger succubuit.

Sectione anatomica, quamvis accuratissime facta, nil potuit inveniri, in quod causam horum symptomatum & mortis licuisset transferre.



MENSIS APRILIS. 1760.

FEBRES catarrhales admodum frequentes hoc mense mecum in nosocomio observavit doctissimus Medicus Collin.

Præterea aderant multi ægri febre acuta laborantes, quibus nequaquam tussis molesta fuit.

Miliaria alba in tribus solummodo ægris hoc mense nobis obvenerunt, & his, dum miliaria cœperunt exsiccari, desiit febris, atque tunc orta est tussis, & mox prodierunt sputa puriformia, quibus rite procedentibus ægri sanitatem brevi recuperarunt.

Exanthemata petechialia hoc mense visa non sunt.

Morbo acuto nullus mortuus est, omnes simplicissima methodo conservabantur.

Infantes, pueros, & juvenes peculiaris quædam febris acuta hoc mense detinuit.

Primis binis diebus caput his vehementer doluit, & oculi fuerunt turbidi, pulſus autem fere naturalis fuit, neque magna ſitis obſervata eſt, verum vires erant ſolito minores.

Tertio die capitis dolor auctus eſt, increvit ſitis, oriebatur febris, cutis tota tendebatur, & dolor dilacerans membra occupavit, & jam ægri non amplius extra lectum eſſe potuerunt.

Finiente tertio die univerſum corpus colore profunde rubro tinctum videbatur, & oculi erant torvi, rubri, ægri autem nec ſoporoſi fuerunt, nec delirarunt, lingua erat craſſa, tenaci & alba cruſta obducta.

Nox ante quartum diem fuit inſomnis, anxia.

Quarto die eruperunt per totum corpus puſtulæ admodum parvæ, rubræ, rotundæ, & facies eryſipelatoſo tumore inflata eſt.

Quibuſdam hoc die fauces ſimul inflammabantur, & deglutitio reddebatur valde difficilis, dolor autem capitis & membrorum penitus evanuit.

Febris manſit æque magna, ſitis autem minor fuit, & cutis prius tenſa ac ſicca leni tranſpiratione mollis & ſubhumida apparuit.

Urina, quæ tertio die flammea fuit, nunc turbata est, & sedimentum crassum posuit.

Alvus vero, per plures dies clausa, enemate aut suppositorio debuit provocari.

Nox dato paregorico fuit admodum tranquilla, reficiens.

Quinto die febris fuit minor, sitis pauca, urina prodiit coloris fere naturalis, & oculi fuerunt minus rubri, & magis vivaces.

Nox dato paregorico iterum quieta fuit.

Sexto die cutis rubor cœpit diminui, & reliqua symptomata fuerunt mitissima.

Nox fuit quieta.

Septimo die pustulæ pleræque ruptæ sunt, & cutis habuit colorem naturalem, febris desiit, & viguit appetitus, vires fuerunt longe majores.

Octavo die ægri extra lectum per plures horas esse potuerunt, in cute autem perceperunt continuum pruritum, & epidermis abiit in fursures.

Curatio solo infuso N. 19. perficiebatur.

Idem infusum gargarismatis loco datum est iis, qui quarto die angina correpti sunt.

Præterea collum cataplasmate emolliente involutum fuit.

Haud raro observavimus, ægros, ex morbo acuto convalescentes, febre intermittente quotidiana, aut tertiana correptos fuisse.

Et quidam adeo vehementes habuerunt paroxysmos, ut brevi cortice peruviano debuerint supprimi.

Reliqui vero, qui minus violenter inde afficiebantur, solis remediis salinis, & amaricantibus curati sunt.



MENSIS MAIUS. 1760.

TUSSES hoc mense longe rariores fuerunt.

Verum febres continuo remittentes admodum frequenter observatæ sunt.

Omnibus ægris circa vesperas febris exacerbata est.

Quidam tunc valde anxii fuerunt, & dolores ingentes per omnes artus conquesti sunt, & cessante exacerbatione sudore viscido vires amiserunt.

Quibusdam sub paroxysmo prodierunt pustulæ rubræ vel maculæ purpurascentes per totum corpus, quæ ingra-

tiſſimum pruritum excitarunt, finiente autem paroxyſmo ſponte iterum diſparuere.

Quidam vero ſub exacerbatione leves tantum anxietates, & capitis dolores perceperunt, neque propterea multum debilitati ſunt, & noctes habuerunt ſatis tranquillas.

Qui levioribus ſymptomatibus afficiebantur, ii ſolo decocto hordei crudi, addito pauco nitro, & melle puro, intra ſeptem vel undecim dies ſanati ſunt.

Quos autem exacerbatio febris nimium defatigavit, iis cortex peruvianus magna doſi exhiberi debuit.

Quibus ilico exacerbationes ſuppreſſæ ſunt, iis neque amplius redierunt anxietates, nec puſtulæ comparuerunt, nec pruritus perceptus eſt, pulſus tamen leniter febrilis manſit.

Et urina poſtea prodiit craſſa, admodum fœtida, & poſuit ſedimentum lateritium.

Atque hi ægri undecimo aut decimo quarto die a febre liberati ſunt.

Quibuſdam tertio, aut quarto, aut quinto morbi die diarrhæa ſupervenit, hæc autem mitis fuit, nec ægros defatigavit.

Quatuor ægri febre putrida admodum

periculose decubuerunt. Primo die statim valde debiles fuerunt, pulsum habuerunt inæqualem, parvum, sitim ingentem, linguam albam, & urina flammea prodiit.

Quarto die cœperunt delirare, & tendinum subsultu exagitari.

Præterea continuo sopore tenebantur, fuerunt anxii, & decubuerunt cruribus versus pectus adtractis. Oculi erant lachrymantes, turbati, vires admodum languidæ, pulsus parvus, celer, inæqualis, respiratio densa, & urina rubra, crassa, fœtida, alvus viridis, cruda.

Vesicantia suris & nuchæ adposita sunt.

Quinto die vires fuerunt exiguæ, & ægri, admodum anxii, largo, viscido sudore maduerunt.

Vesicantia nil operata sunt.

Sextus dies fuit quinto similis.

Septimo die tres ex his ægris multo melius se habuerunt, etenim remisit febris, sitis, & sudor, & vires videbantur majores, oculi magis vivaces.

Undecimo die hi ab omni febre & periculo liberi fuerunt.

Quartus autem æger septimo die pejus habuit, nam reliquis pessimis symptomatibus diarrhæa larga, & defatigans

fatigans ſe junxit, & vires inde adeo dejectæ ſunt, ut æger citra animi deliquium ſeſe erigere non potuerit.

Octavo die uſu laudani liquidi SYDENHAMI diarrhæa multo mitior fuit.

Nono die æger per vices tranquille dormivit, & inde vires pauliſper auctæ ſunt.

Decimo die jam petiit matulam, neque amplius paſſus eſt animi deliquium, & nox ante undecimum diem erat tranquilla.

Undecimo die febris fuit exigua, vires magis increverunt, ſitis remiſit.

Duodecimo & decimo tertio die omnia ſymptomata fuerunt valde mitia; & decimo quarto die pulſus fiebat æqualis, liber, & omnino naturalis, atque diarrhæa penitus ceſſavit, & æger cœpit optime convaleſcere.

Ex omnibus remediis optimos effectus his quatuor ægris præſtitit miſtura N. 25.

Veſperi ſemper datum eſt lene paregoricum.

Pro potu ordinario exhibebatur ſerum lactis vinoſum, quo etiam poſt morbum ad vires reſtaurandas hi ægri aliquandiu uſi ſunt.

Miliaria alba in unica femina hoc mense visa sunt.

Petechiis vero bini viri decubuerunt.

Primus decimo quarto die orta diarrhæa biliosa, & prodeunte urina crassa, jumentosa a febre judicatus est.

Alter vero finiente die decimo obiit.

Erant autem symptomata jam a quarto morbi die lethalia, & æger se ipsum in principio neglexit.

Etenim primis diebus, licet vires habuerit valde debiles, & sitim magnam, & appetitum cum nausea delectum, & obtusum capitis membrorumque dolorem: atque frequentes horripilationes, nil tamen est conquestus, neque se in lectum contulit, & sola fame morbum enecare voluit.

Hanc curationis methodum in quartum diem protraxit, & præter tenuia juscula, & aquam assumpsit nihil.

Verum quarto die oriebatur tanta appetentia, ut æger sese abstinere non amplius potuerit, hinc magnam ciborum copiam avidissime devoravit, & copiosum vinum hausit.

Mox inde anxius factus est, supervenit animi deliquium violentissimum, & vomitu omnes cibi iterum rejiciebantur, erat autem vomendi conatus adeo

vehemens, ut tandem copioſus ſanguis prodierit.

Pulſus tunc erat inæqualis, celerrimus, admodum debilis, urina prodiit fuſca, fœtida.

Noctu fortiori paregorico ſomnus quidem potuit conciliari, verum is non fuit reficiens.

Quinto die totum corpus fuit plenum petechiis ſublividis, oculi erant fulvi, lingua tremula, plumbea, ſitis magna, caput obtuſe doluit, & tempora & frons torculari fortiſſime quaſi comprimi ægro videbantur, ſitus corporis fuit admodum inquietus, & acceſſit diarrhæa billioſa, fœtida, defatigans, pulſus erat parvus, inæqualis, intermittens, vires valde debiles.

Nox fuit anxia.

Sextus dies fuit ſimilis quinto.

Nox erat anxia.

Septimo die æger fuit ſoporoſus, & fere perpetuo deliravit, floccos carpſit, frequenter e lecto voluit ſurgere, fœces, & urinam inſcie dimiſit, pulſus erat exiguus, inæqualis, intermittens, ſitis tunc penitus deleta eſt, hypochondria cœperunt tendi, inflari, & frequentes borborygmi auditi ſunt, diarrhæa nulli remedio obedivit, veſicantia nuchæ,

ſuris, tandem & humeris adplicata, nullum effectum præſtitere.

Nox fuit inquieta.

Octavo die æger fuit ſibi magis præſens, & ſibi omnia videri leviora aiebat; interim pulſus fuit admodum inæqualis, intermittens, tremulus, diarrhæa continuavit.

Venter intumuit, & reſpiratio cœpit eſſe laborioſa, & obſervati ſunt tendinum ſubſultus, convulſiones; petechiæ valde numeroſæ, lividæ, latæ, & irregularis figuræ adhuc per totum corpus viſæ ſunt.

Nox fuit anxia, & æger fere ſemper deliravit, bis tamen dum lucida intervalla habuit, petiit matulam, & inter lethales anxietates ac enormes ardores reddidit urinam paucam, craſſam, fœtidiſſimam.

Nono die omnia erant valde mala, extremitates mox frigidæ, mox calidæ deprehenſæ ſunt, & facies nunc palluit, nunc rubuit, petechiæ cœperunt diſparere.

Nox fuit anxia.

Decimo die ſigna mortis imminuere, pulſus frequenter evanuit, & extrema fuerunt ſemper gelida, & totum corpus glutinoſo ſudore maduit, aſperam arte-

riam materies viscida replevit, unde ortus est in pectore strepitus, & respiratio sublimis.

Nox fuit pessima.

Incipiente undecimo die nullus in extremis pulsus inveniri amplius potuit, carotides tremulo & inaequali motu agitabantur, totum corpus livuit, tandem inter continuas membrorum jactationes, & anxietates suffocantes aeger obiit.

Remedia antiphlogistica, lenia aromatica, vinosa, acida ex vegetabilibus, & mineralibus parata, nullatenus profuerunt, inter haec cortex peruvianus largissima dosi a sexto morbi die ad finem usque exhibitus, ne minimam in melius mutationem effecit.

Sola paregorica momentaneum quandoque levamen adtulerunt.



MENSIS JUNIUS. 1760.

OMNES, qui febre acuta decubuerunt, circa quartum, quintum, sextum vel septimum diem diarrhaea correpti sunt.

Haec plerumque morbum levavit.

In paucis erat vehemens & defatigans;

verum laudano liquido SYDENHAMI poterat facile inhiberi.

Binis tantum ægris ad nonum diem supervenerunt miliaria alba, & his prodeuntibus cessavit febris, & siluit diarrhæa.

Quidem post morbum acutum inciderunt in dysenteriam, quæ vires multum debilitavit.

Aderant enormes ventris dolores, borborygmi, tormina, urina fiebat stranguriosa, & oriebatur molestus alvi tenesmus.

Quidam, simili dysenteria occupati, appetierunt; quidam vero os amarum conquesti sunt, & horrorem a cibis.

Et his debebat vel rheum, vel ypecacuanha exhiberi.

Reliqui evacuante opus non habebant.

Remedia adstringentia ad dysenteriam cohibendam hoc mense non profuerunt; nam licet alvum quandoque retinuerint, orti sunt dolores, anxietates, & altero vel tertio die rediit dysenteria longe violentior, & tunc continui tenesmi ægros defatigarunt, & haud raro induxere animi deliquium.

Decocta emollientissima, mucilaginosa, involventia, & remedia opiata hic optime conveniebant.

Dominus COLLIN, qui plurimam tunc curam habuit, solo saturato decocto radicis salab., addita debita quantitate laudani SYDENHAMI fere omnes hos ægros facillime sanavit.

Aderat eodem tempore in nosocomio vir, triginta circiter annorum, qui phrenitide laboravit.

Facies fuit ruberrima, tensa, oculi torvi, lingua arida, fusca, pulsus inæqualis, durus, celerrimus.

Æger ferociter deliravit, spuit in adstantes, eosque manibus percussit.

Iteratæ venæ sectiones, remedia diluentia, antiphlogistica, alvumque laxantia morbum nequaquam mitiorem reddiderunt.

Neque juvabant remedia paregorica, quæ, factis necessariis evacuationibus, adhibebantur; neque alia remedia sive interna, sive externa.

Quarto die æger languet, silet a clamore, ferocia minuitur, delirium fit admodum leve.

Hæc dum contigerunt, inflabatur facies tumore erysipelatoso.

Copiosissimum rob. sambuci cum sale polychresto & nitro tunc præter decocta antiphlogistica ingerebatur.

Lenia erant omnia symptomata, nec

æger deliravit, per intervalla dormivit, & inde videbatur refici, nec febris admodum intensa fuit.

Finiente sexto die faciei tumor subito evanuit, & æger cœpit summo cum labore respirare, tussire, delirare.

Dominus COLLIN tunc magnam febrem deprehendit, & vidit veram adesse peripneumoniam.

Unde ilico venæ sectionem instituit, eandemque ter illo die adhuc repetiit.

Præterea præscribebatur decoctum N. 4.

Octavo die prodierunt sputa copiosa, cocta, crassa, & æger melius habuit, febris mitis fuit, & respiratio longe liberior.

Undecimo die cessavit febris. Decoctum tamen N. 4. ægro adhuc datum est, quoniam copiosa sputa prodire continuarunt.

Intra paucos dies tussis desiit, æger liberrime respiravit, appetiit, & sensim optime convaluit.

Post morbum caput erat debile, & vertiginosum: verum dum vires redierunt, sponte disparuit vertigo.

De Febre continua Arthritica, & Rheumatica.

AUTUMNO, hyeme, & vere multi aderant in noſocomio, qui febre continua arthritica aut rheumatica laborarunt.

Aër humidus, nebuloſus, & frigidus hos morbos plerumque produxit.

In principio horror & frigus ſpinam dorſi, aut integrum quandoque corpus permearunt; dein orta eſt febris & ſitis, & mox prodiit urina craſſa, jumentoſa.

Poſt aliquot horas acceſſit dolor vagus, qui eodem adhuc die vel die ſequenti ſedem fixit, & jam genua, vel coxas, vel humeros, ſcapulas, aut vertebras lumborum, dorſi, aut colli occupavit, quandoque invaſit coſtas; & pleuritidem ſimulavit.

Plaga dolore affecta quandoque intumuit, quandoque vero nullus tumor advertebatur, omnis autem adtactus dolorem auxit.

Hoc in ſtatu ſi febris non fuit admodum vehemens, & ſi æger ſeipſum non neglexit, morbus in principio facile potuit curari.

Necesse erat tunc, ut æger mox se in lectum conferret, & moderato tegminum pondere, & copioso infusi florum sambuci, vel trium santalorum, vel ligni sassafras, vel foliorum levistici &c. potu sudorem provocaret, quo fere semper intra breve temporis spatium dolores multum minuebantur, & pulsus fiebat liberior.

Postquam hac ratione symptomata mitigata sunt, tunc non amplius opus fuit largum promovere sudorem, attamen debitam conservare transpirationem summe erat necessarium, unde in usu infusorum egregie erat pergendum.

Frictiones leniores, pannis laneis calidis peractæ, multum quoque ad curæ celeritatem contulerunt.

Levior talis febris intra binos ternosve dies deferbuit.

Raro venæ sectione opus fuit.

Quamdiu duravit febris, tamdiu prodiit urina crassa, turbida, fœtens, & produendo ardorem excitavit.

Ægri, ab hac febre liberi, summa adtentione sibi debebant cavere, ne corpus aëri frigidiori denuo exponerent, nam erant admodum faciles ad recidivam, & recidiva fuit curatu longe difficilior.

Subinde vero hujus morbi ſymptomata ſtatim primo aut ſecundo die fuerunt admodum gravia, & periculoſa.

Etenim multos habui ægros, quibus prægreſſo horrore orta eſt ingens febris, ſitis magna & dolor acutiſſimus articulos & artus invaſit.

Secundo aut quandoque primo ſtatim die partes dolentes tumore albo inflabantur, & inde omnia adeo erant tenſa, ut ægri nullum membrum abſque ſummo dolore potuerint movere, & propterea rogarunt adſtantes, ne nimis prope accederent, aut quamdam corporis partem tangerent; a minimo enim adtactu tantus excitabatur dolor, ut miſeri clamorem inhibere non potuerint.

Pulſus ſemper fuit admodum celer, plenus, durus, unde plerumque repetitis vicibus vena debuit tundi.

Sanguis ſemper tegebatur cruſta, flava, craſſa, tenaciſſima; ſerum a ſanguine ſubinde per quatuor aut quinque horas non ſeceſſit, & quod ſeceſſit, paucum fuit, & craſſum; & aliquoties obſervavi, id virgula elevatum fila egiſſe.

An in ſero ſanguinis præcipua erat mali ſedes?

Remedia antiphlogiſtica, refrigeran-

tia, resolventia, & lenem transpirationem excitantia hic maxime locum habuerunt.

Unde infusum N. 19. utilissimum fuit.

Alvus erat semper pertinacissime claussa, quapropter omni tertio die optimo cum effectu exhibebatur haustus purgans antiphlogisticus.

Raro ante quartum, quintum, sextum, septimum, aut quandoque octavum diem ægri levamen perceperunt, dein vero remisit dolor, & tensio.

Noctes fere semper inquietæ fuerunt, imo versus vesperas dolor, qui per diem sat mitis fuit, plerumque exacerbabatur.

Quamprimum vehementia symptomatum remisit, & tumores molles & flaccidi facti sunt, & ægri cœperunt membra absque magno dolore movere, tunc non amplius necesse fuit, toties repetere purgantia; ab his enim nimis frequenter exhibitis, ægri debilitati sunt, & morbus est prolongatus.

Infusa incidentia, lenia sudori fera, & frictiones reliquæ curationi absolvendæ suffecerunt.

Nunquam ante vigesimum diem omnis dolor abiit, & is quandoque ultra trigesimum aut quadragesimum diem duravit.

Quidam ægri diuturnitate morbi, continuo dolore, tussicula sicca, & sudore nocturno vires fere omnes amiserunt, & sunt penitus emaciati.

His autem symptomatibus facile occurrebatur diæta humectante, replente, nutriente; infusum N. 24. multum profuit, ut & lac recens.

Multi ægri tumore rheumatico universali afficiebantur; etenim tertio vel quarto morbi die cutis totius corporis cœpit tendi, albo tumore elevari, & acute dolere, ipsa quoque facies tumore difformis facta est.

Curandi methodus, quæ priores ægros juvit, his quoque feliciter administrata est.

Qui tantam ex remedio N. 26. copiam potuerunt assumere, ut levis inde diarrhæa fuerit secuta, ii reliquis citius curati sunt.

Si cessante hac febre subito omnia membra detumuerunt, tunc semper materies, prius per totum corpus dispersa, in unum locum confluxit, & ingentes tumores lymphaticos efformavit.

Hi tumores plerumque genua, coxas, inguina, aut humeros occuparunt.

Unicus fuit æger, in quo hæc mate-

ries intra ſcapulas colligebatur, & fiebat ibi tumor, qui magnitudine caput virile exceſſit; aperto hoc tumore novem libræ ſeri flavi viſcidi effluxerunt.

Tentavimus ab initio hos tumores, remediis externis diſcutientibus diſſipare, & materiem internis lenibus ſudoriferis, aut diureticis ex corpore expellere.

Verum res ſucceſſu caruit, & ægri pejus habuerunt, & emaciati ſunt.

Unde Dominus HAFFNER chirurgus & ego ſtatuimus eos ſcapello aperire.

Prodiit ſemper ſerum flavum, viſcidum, quod leni calore potuit inſpiſſari.

Ægros tunc, ex præcedente morbo admodum debiles, nullis amplius medicamentis defatigavimus, ſed ſolo ſero lactis, lacte recenti, & cibo molli eos reficere ſumus conati.

Vulnera ex diſciſſo tali tumore relicta patientiam, & ſedulitatem chirurgi multum exercuerunt, quoniam copioſiſſimum ſerum fuderunt, & conſolidationi pertinaciter reſtitere.

Adſtringentibus ſerum affluens reprimere non licuit, quoniam ægri anxii inde reddebantur, & orta eſt nova febris.

Longo tempore diverſa remedia ex-

terne tentavit Dominus HAFFNER, optatam tamen metam numquam potuit adtingere.

Tandem, quoniam multiplici experientia confirmati eramus, infusum cicutæ in pertinacissimis ulceribus adhibitum, mox sanationem adtulisse, id quoque his casibus in usum vocabamus.

Quater per diem lintea carpta hoc infuso madida applicabantur; post paucos dies labia cœperunt coire, & intra unam alteramve septimanam firma inducebatur cicatrix.

Hac ratione hos ægros conservavimus, & restituimus; in quibus similes tumores in externa corporis superficie comparuerunt.

Tres vero mortui sunt, quoniam serum per universam corporis superficiem externam antea dispersum subito interiora occupavit.

Duo ex his remittente febre & tumore rheumatico derepente anxii fiebant, & aphoni, soporosi, & mox sublime respirarunt, nec potuerunt decumbere; pulsus ilico fuit parvus, tremulus, inæqualis, facies livida, extrema frigida; & altero die mors supervenit.

Sectione anatomica in binis his cada-

veribus reperiebatur copiosissima, flava, gelatinosa materies inter membranam pulmones ambientem, & inter ipsos pulmones, & tota pulmonum substantia in admodum parvam molem compressa est.

Talis materies valde copiosa quoque intra piam matrem & cerebrum, atque cerebellum hæsit.

Etiam anteriores cerebri ventriculi simili gelatina pleni fuerunt.

Ambæ cordis cavitates grumoso sanguine distendebantur.

Tertius æger disparente tumore arthritico cœpit difficillime respirare, & incidit in tussim convulsivam, quæ nullis prorsus remediis obedivit, unde hic æger, intra quatuordecim dies, omnibus viribus exhaustus, obiit.

In medio pulmonis dextri detegebatur saccus, qui libras quinque seri flavi, sub aëris reclusit.

Cætera fuerunt sana.

Ad dolores articulorum mitigandos, sæpe multum valuerunt cataplasmata ex foliis papaveris erratici vel ex foliis hyosciami, & ex lacte recenti, & pauco croco parata.

Sicca & aromatica fere semper majores dolores excitarunt.

In omnibus fere ægris, febre arthritica aut rheumatica affectis, febris & dolores circa vesperas exacerbati sunt, iique plurimam noctis partem perdurarunt.

Quidam ex his ægris mane, dum dolor remisit, sponte tranquillum cœperunt somnum, & leviter sudarunt, & post somnum longe alacriores fuerunt.

Multi autem manserunt vigiles, & debilitati sunt; quapropter his matutino tempore circa doloris remissionem conveniebat paregoricum; nam inde producebatur somnus tranquillus, reficiens, & ægri fiebant iterum aptiores ad dolores vespertinos sustinendos.

In vespertina dolorum, & febris exacerbatione datum paregoricum semper male conduxit: nam ægri admodum inquiete dormiverunt, delirarunt, habuerunt anxia insomnia, sæpe subito evigilarunt, & coacto hoc somno multum defatigati sunt, & toto postero die erant soporosi, subdeliri, & pulsus fuit celer, inæqualis, contractus.

Si tamen ex nimia dolorum exacerbatione tendinum subsultus, & membrorum convulsiones ortæ sunt (quod aliquoties contigit) tunc has opio, per epicrasin dato, licuit mitigare, sopire.

In magna dolorum exacerbatione, urina plerumque prodiit tenuis, pallida, quandoque ſtranguriosa, decreſcente autem dolore urina primo prodiens erat rufa; ſecunda vero turbida, & mox fœtuit, & poſuit ſedimentum furfuraceum, ſubalbidum.

Quandoque tumores citra articulos comparuerunt abſque magna febre, & ſine multo dolore.

Et his in caſibus remedia antiſcorbutica plurimum juverunt, unde optimo cum effectu datum eſt medicamentum N°. 27. vel N°. 28. aut ſi alvus fuit immorigera N°. 29.

Si autem ægri valde debilitati ſunt, & ſi dolorum exacerbatio quotidie ſtata hora rediit; ſi hanc prægreſſa eſt horripilatio, tremor, & frigus, tunc remedium N°. 30. maximum levamen adtulit.

Dolores quidem integre hac ratione ſopiri non potuerunt, verum reliqua ſymptomata, quæ hos dolores concomitabantur, & quæ ægros valde debilitarunt, penitus fugata ſunt.

Præterea autem his ægris valde utilia fuerunt infuſa radic. pareiræ bravæ, fœniculi &c. fol. leviſtici, ruthæ, roriſmarini, &c. herbæ annodinis, fumariæ,

chamædrios, absinthii, &c. decoctum radicis sarsaparillæ, chinæ &c. verum magna copia & calide debuerunt assumi.

Plures ægri valida febre rheumatica aut arthritica decubuerunt, & nullus tamen tumor circa articulos, aut circa alias partes observatus est, licet dolores fuerint magni, & fixi.

Pulsus erat plerumque durus, plenus, fortis, celer, sitis magna.

Sanguinis missiones, repetitæ, fuerunt maxime necessariæ.

Remedia antiphlogistica ex rob. sambuci, pulpa tamarindorum, & nitro parata similibus ægris maxime conduxerunt; præsertim si tanta copia sunt exhibita, ut alvus leniter esset mota.

Sæpe his solis medicamentis, & debitis venæ sectionibus cessit febris, & omnis dolor.

Subinde autem horum usu, licet febris fuerit facta mitissima, dolores tamen non remiserunt, neque juverunt externa fomenta, nec cataplasmata, nec frictiones.

Unde febre ad justum moderamen redacta locis dolentibus latum vesicatorium adposui; quod, quamprimum incæpit epidermidem elevare, dolores

vel penitus delevit, vel multum diminuit.

Nullum unquam malum ſymptoma ex emplaſtro veſicante obſervavi, atque ideo nullus fere in corpore locus fuit, ad quem id applicare non eſſem auſus.

Sic parti capillatæ capitis raſæ, id ob pertinaciſſimum dolorem rheumaticum aliquoties optimo cum effectu appoſui, in binis ægris applicabatur ſecundum totam maxillam inferiorem lateris ſiniſtri, pluribus poſitum eſt in nucha, ad ſpinam dorſi, ad lumborum ſpinas, ad ſcapulas, ad coſtas utriuſque lateris, ad humeros, ad coxendicem, ad femura, &c.

Ranunculus (herba) recens, & ſucculentus in pultem contuſus, & loco dolenti appoſitus magnum ſemper dolorem excitavit, & epidermide in veſicam elevata copioſum ſerum adtraxit, atque hac ratione morbi dolores penitus diſſipavit.

In pertinaciſſimis ac inveteratis articulorum doloribus hujus herbæ uſum externum admodum ſalutarem ſæpius vidi.

Verum obſervavi ulcus inde ortum longe diutius ſtillaſſe ſerum acre, & magis reſtitiſſe curationi, quam ulcus

ab emplastro vesicante productum.

Unicus erat in nosocomio æger, qui ex applicatione horum remediorum nullum percepit levamen.

Erat autem febris in principio admodum valida, & dolor ad lumborum vertebras adeo acutus, ut æger diu noctuque ejulaverit.

Venæ sectiones repetitæ, remedia maxime resolventia, & antiphlogistica, atque externe adplicata emollientia & discutientia cataplasmata nequaquam dolorem mitigarunt; unde quarto die applicatum fuit latum vesicans, verum neque hoc juvit; & quinto die conciderunt vires, pulsus factus est debilis, inæqualis, æger subinde deliravit, mox rubuit, mox palluit, urinam & fœces fœtidissimas inscie dimisit, leves & frequentes convulsiones observatæ sunt, sexto die extrema inferiora erant frigida, immobilia, & omni sensu caruere, tandem livido & frigido tumore inflabantur, æger nullum amplius dolorem percepit, & septimo die convulsus obiit.

Sectione anatomica binæ ultimæ lumborum vertebræ ea parte, qua medullam spinalem ambiunt, inventæ sunt penitus putridæ, & in nigrum, fœtidum ichorem solutæ.

Quandoque dolor rheumaticus internam ossium substantiam occupavit, & tunc ægri externum adtactum, quamvis satis rudem, sine magna molestia tulerunt.

Febris his in casibus fuit valde mitis, verum molesta pectoris siccitas, & frequens ac irrita tussis semper observabantur, & vires brevi conciderunt, & accessit corporis extenuatio.

Remedia penetrantia, sudorifera, aut calidiora diuretica his ægris maxime nocuerunt, & excitarunt majorem tussim & pectoris angustiam.

Medicamenta emollientissima: ut saturatum decoctum radicis althææ, bardanæ, salab. &c. folior. althææ, verbasci, malvæ, &c. hic præprimis locum habuerunt.

Hæc si per plures dies copiose & calide assumpta sunt, tunc circa articulos cœperunt tumores molles apparere, & ægri, qui antehac fere semper fuerunt vigiles, & inquieti, placide obdormiverunt.

Morbo jam eo usque mutato non amplius emollientia requirebantur, sed erat necesse simul exhibere remedia leniter purgantia, & incidentia.

Hinc magno cum ægrorum levamine

tunc præter decocta emollientia datum est medicamentum N°. 29.

Victus debebat esse mollis, humectans, nutriens.

Serum lactis pro potu ordinario datum semper profuit.

Ad dolorem reliquias integre dispellendas decoctis emollientibus semper optime jungebantur remedia antiscorbutica.

Succi recentes ex herba cochlear., becabung. nasturt. aq. misti sero lactis, & hac ratione copiose hausti erant valde efficaces.

Si tamen antiscorbutica per plures dies usurpata debitos effectus non præstiterunt, tunc fere semper juvit, largus potus decocti lignorum, misti cum æquali copia lactis recentis.

Ægri in longe majori periculo erant positi, si materies rheumatica aut arthritica, vaga, mox externas, mox internas corporis partes invasit; quod sæpius contigit.

Sed aliquoties observavi dolore in membris disparente, ortam esse pectoris anxietatem, cordis palpitationem, & pulsum intermittentem, & redeunte ad membra dolore, hæc symptomata iterum disparuisse; & tunc pulsum paulo

antea tremulum & intermittentem, denuo æqualem, & liberrimum inveni.

Vidi materiam arthriticam, quæ articulos manuum & pedum occupavit, per universum corpus fuisse dispersam, & summos excitasse dolores, atque universalem induxisse rigorem & tetanum.

Sola maxilla inferior (quod mirum erat) mansit libera; ipsi oculi sanguine suffusi protrudebantur, & præ dolore lachrymæ acerrimæ, quæ genas eroserunt, defluxere.

Verumtamen dato copiosissimo infuso trium santalorum, & applicato leni calore lecti intra binas horas rigor & dolor per universum corpus remiserunt, mox autem pectus fuit valde angustum, contractum, & respiratio sublimis, & pulsus tremulus, parvus, & æger in pessimo suffocationis metu versabatur.

Circa articulos manuum ac pedum ilico apponebantur sinapismi sat fortes, injectum est acre enema, & datum copiosum infusum florum sambuci.

Post sesqui horam ortus est circa genua & in carpis manuum dolor ingens, & respiratio eo momento reddebatur liberior, & pulsus major, & magis æqualis.

Tandem subito advertebatur dolor acutissimus

acutissimus circa umbilicum, dein prodiit enema, antea injectum, cum multis scybalis durissimis, & dolor ad umbilicum disparuit.

Verum inguina tunc pessime afficiebantur, & genua versus pectus adtracta sunt.

Ex inguinibus mox dolor transiit ad testiculos, unde æger convulsus in pessimum animi deliquium incidit, & morti fuit proximus; etenim extrema fuerunt frigida, & nullus omnino pulsus potuit inveniri.

Hæc pessima symptomata per septem circiter minuta durarunt, tandem rediit extremorum calor, rediit pulsus, & æger cœpit placide dormire.

In somno aderat continuus sudor.

Post tres horas æger evigilavit, & satis bene se habuit; ad carpos manuum, & ad ambo genua levis & mollis tumor advertebatur, dolor fuit exiguus.

Partes tumentes dein calidis sacculis, pauca camphora, & floribus sambuci repletis, involvi, & dein intra octo dies hunc ægrum solo infuso florum sambuci, quo urina copiosissima expellebatur, & sero lactis integre sanavi.

Alius æger validissimo dolore rheu-

matico per universum corpus torquebatur, febrem autem habuit valde mitem & subinde per tres quatuorve horas ab omni dolore liber fuit.

Verum quamprimum dolor evanuit, tunc cœpit pulsus post quemlibet tertium ictum intermittere, & spatium intermissionis æque longum fuit ac illud, quo tres priores ictus peragebantur.

Æger sibi semper fuit præsens, neque multas vires amisit, neque unquam pectoris anxietates, aut cordis palpitationes conquestus est.

Exhibui infusum florum sambuci cum nitro & rob sambuci.

Quarto die tempore matutino omnia erant valde mitia.

Circa meridiem ejusdem diei rigor ægrum prehendit, dein febris exacerbata est, dolores vero majores orti non sunt.

Nox fuit inquieta.

Quinto die mane nulli aderant dolores, & pulsus ad quemlibet tertium ictum intermisit.

Circa meridiem redierunt dolores, & febris prægresso rigore fuit adeo vehemens, ut plurimæ vires inde essent prostratæ.

Unde ad usum corticis peruviani ilico confugi.

Nox, dato paregorico, quieta erat.

Sequente die febris inveniebatur mitis, & circa meridiem vix ulla exacerbatio observata est, dolores autem fuerunt æque validi.

Corticem peruvianum tunc cum conservis antiscorbuticis miscui, & magnam quotidie dosin præter infusum florum sambuci, quod cum sero lactis fiebat, exhibui.

Exacerbatio febris tandem penitus suppressa est, dolores autem nequaquam imminuti sunt, aut iis imminutis post quemlibet tertium ictum pulsus siluit.

Cortice peruviano & conservis antiscorbuticis, &c. in duodecimum morbi diem continuatum fuit.

Hoc autem die erupit sudor copiosus, fœtidus, subfuscus, tenax, qui ægrum valde debilem reddidit.

Dolores autem penitus evanuerunt, & pulsus naturalis esse cœpit.

Mutavi tunc medicamenta, & dedi claretum N. 3. & pro potu ordinario serum lactis.

Atque his & diæta molli ac probe nutriente intra aliquot dies redierunt vires, & æger optime convaluit.

Qui dolores rheumaticos aut arthriticos habuerunt abſque magna febre, hi fere omnes ſolo potu diluente, & miſtura N. 31. & frictione curati ſunt.

Qui autem vera phthiſi, & arthritide ſimul laborarunt, hi nequaquam curati ſunt, verum omnes ſerius aut citius perierunt.



Apoplexia & Paralyſis.

Aer nebuloſus, humidus, & frigidus, qui plerumque febris rheumaticæ aut arthriticæ cauſa fuit, ſæpe quoque produxit apoplexiam & paralyſin.

Qui ex loco calido & ſicco ſeſe ſubito in locum frigidum & humidum contulerunt, aut qui præter conſuetudinem in aëre frigido & humido verſari debebant, primo ſenſerunt horrorem, dein membrorum languorem, & pondus, quandoque reſpiratio reddebatur anxia, & caput vertiginoſum, oculi caliginoſi, dein ſequebatur in uno alterove membro, aut in integro latere ſtupor, tandem omnia videbantur in gyrum agi, & æger concidit, & aliquamdiu ſenſuum & mentis fuit expers.

Febrem plerumque satis magnam habuerunt hi ægri, & respirationem laboriosam, & pulsum plenum.

Unde primum fere semper, & maxime necessarium remedium fuit larga venæ sectio.

Et hæc quandoque debuit iterari.

Postquam aliquamdiu mentis expertes hi ægri jacuere, cœperunt tandem oculos aperire, & vitæ signa dare.

Loquela fuit vel penitus impedita, vel admodum difficilis & balbutiens, & eæ partes, in quibus antea stupor advertebatur, erant immobiles, sensibilitatem autem fere semper conservarunt.

Si æger alvum clausam habuit, tunc multum juvit enema satis acre.

Dein vero leni calore lecti, & infusis diluentibus, lenissime stimulantibus, & levissimis frictionibus, transpirationem, & levem sudorem procreare necesse fuit.

His solis quandoque, dum symptomata non admodum gravia fuerunt, intra aliquot dies multi ægri cœperunt melius habere, & tandem sine multo molimine convaluerunt.

Verum multi habuerunt tussim admodum vehementem simul junctam, unde præprimis pectori erat prospiciendum.

Solum decoctum N°. 4. largiter haustum, plurimis profuit.

Nam dum copiosa sputa prodierunt, tunc plerumque in membris paralyticis cœpit quædam mobilitas observari.

Et non raro accidit, ut pectore ab omni glutine liberato, & tussi sopita, paralysis quoque evanuerit.

Præter decoctum N°. 4. remedium N°. 32. his ægris quoque admodum utile fuit.

Medicamenta stimulantia, acria, & fortes, aromaticæ, spirituosæ frictiones his ægris nocuerunt, & exacerbarunt tussim, & febrem.

Hinc quamdiu febris duravit, & tussis molesta fuit, ab his erat abstinendum.

Si vero cessante febre & tussi, respiratio fuit libera, & si nulla in membris paralyticis emendatio observata est, tunc ad acriora licuit transire.

Mistura N°. 33. pulcherrimos tunc effectus præstitit; & si majori adhuc stimulo opus fuit, tunc huic misturæ addebatur sufficiens quantitas tincturæ succini, vel spiritus cornu cervi.

Frictiones fortes, quæ pannis laneis, fumo myrrhæ, succini crudi, styracis calaminthæ imbutis, fiebant, hic locum habuerunt.

Quibusdam melius conduxit, si membra paralytica bis per diem probe perfricta, & inuncta sunt remedio N°. 34. vel N°. 35.

Quandoque optimo cum effectu aliquoties per diem partes paralyticæ exponebantur vaporibus aquæ ebullientis, in cujus libris quatuor solvebatur uncia una salis ammoniaci; vel eodem cum successu talis solutio instar fomenti potuit applicari.

Hac methodo ex triginta sex ægris, qui tempore autumnali, & hyemali in nosocomio fuerant, integre restituti sunt triginta tres.

Unicus vir, sexaginta quatuor annorum, ex nimia virium debilitate non potuit sputa egerere, & ideo suffocatus est.

Binæ autem vetulæ, tussi quidem liberabantur, verum paralysis quamvis multum emendata fuerit, penitus tamen tolli nequaquam potuit.

Hanc eandem curandi rationem multiplici experientia utilem, & sufficientem vidit optimus meus collega Dominus Collin, etenim ea sola multos quoque sanavit.

Et observavimus simul in simili paralysi ab initio semper plurimum profuisse

emollientia, & expectorantia, nocuisse autem spirituosa, & volatilia.

Etenim aliquot ægri serius ad nostrum nosocomium translati sunt, & ex eorum narratione intelleximus, statim in principio fuisse acria, & spirituosa remedia interne externeque adhibita, & inde auctam esse tussim, ortam esse majorem febrem.

Et hi omnes phthisi pulmonali contabuerunt.

Nec mirum! etenim remediis nimium calidis inflammatio pulmonis aucta est, & abiit in suppurationem, & hæc tabem adtulit.

Vidi aliquoties medicamentis nimium spirituosis & acribus, in paralysi adhibitis, ingentem esse ortam febrem, & exanthemata exanthematibus supervenisse, & tandem ægros nimia virium debilitate occubuisse.

Aliquoties etiam in iis casibus, ubi pulsus lentus fuit, & ab omni febre liber, adhibui ab initio decocta aperientia & emollientia, & dein vasis sat repletis, & emollitis acria & stimulantia dedi longe tutius & bono semper cum effectu.

Leviores apoplexiæ & inde ortæ paralyses hac methodo possunt plerumque curari.

Fortes autem apoplexiæ curantur nunquam.

Transferebantur bini apoplectici ad noſocomium, qui tentatis omnibus internis externiſque remediis nullum omnino ſenſationis ſignum exhibuerunt, reſpirationem habebant tardam, pulſum fortem, traxerunt ronchos, deglutitio tamen libera fuit.

Unus ex his ſecundo die obiit, alter autem die tertio.

In primo cadavere invenimus inter cerebellum & medullam oblongatam copioſum ſanguinem grumoſum.

In ſecundo autem longe major quantitas ſanguinis grumoſi intra piam matrem, & lobos anteriores cerebri hæſit.

Quis jam effuſum intra cranium, & infra lobos cerebri ſanguinem auferret?

Apoplexiam a nimia evacuatione productam, quoque lethalem eſſe, binis in ægris vidi.

Femina, ex nimia uteri hæmorrhagia, apoplexia prehenditur, & latus dextrum paralyſis occupat, & poſt tres horas inter convulſiones accedit mors.

Latus paralyticum totum glaciei inſtar fuit frigidum, licet pulſus ſat liber & æqualis ad carpum tangeretur, latus

autem, sanum, naturalem habuit calorem.

Vir sexaginta annorum, sanus alias, præter causam sibi cognitam diarrhæa adeo violenta corripiebatur, ut spatio quinque horarum viginti quatuor pintæ seri biliosi absque ullo dolore ano effluxerint, mox autem visum & vocem amisit, genua titubarunt, tandem omnia membra soluta sunt, æger concidit, exspiravit.

Paralysin post levem apoplexiam a nimia sanguinis copia ortam, solis venæ sectionibus, & remediis antiphlogisticis, alvum leniter subducentibus aliquoties curavi.



Angina.

EODEM tempore, quo febres inflammatoriæ, rheumaticæ, & arthriticæ regnabant, angina quoque frequenter observata fuit.

Levem quandoque deglutiendi difficultatem ægri conquesti sunt, nec magnam habuerunt sitim, nec pulsum valde febrilem.

Dum fauces considerabantur, reper-

ta est plerumque uvula, velum pendulum, tonsillæ & partes circa pharyngem solito magis rubræ, & tensæ absque ullo notabili tumore, quandoque autem hæ partes simul tumuerunt.

Primis statim diebus huic malo facile potuerunt limites poni, etenim si tales ægri decoctum emolliens ex rad. alth. fol. alth. &c. copiose hauserunt, & infuso florum sambuci addita pauca mellis rosacei, & nitri quantitate, gargarisando fauces sæpius humectarunt, tunc intra binos ternosve dies integre liberati sunt.

Verum contra aëris injurias sese debebant probe munire.

Venæ sectione leviori in casu nunquam opus fuit, nisi ægri fuissent valde plethorici.

Purgans antiphlogisticum semper utile & necessarium fuit.

Si autem huic malo non ilico in principio limites sunt positi, tunc res semper in pejus ruit, & partes inflammatæ cœperunt magno cum dolore intumescere, caput vehementer doluit, oriebatur sitis ingens, & magna febris, & prostratæ sunt vires, & prodierunt urinæ flammeæ, & deglutitio admodum difficilis, & quandoque penitus impossibilis reddita est;

nam tonsillæ sæpe tanto tumore inflabantur, ut transitus per fauces penitus fuerit interclusus.

Venæ sectiones largissimæ, & pro vehementia pulsus, ac ratione virium, brevi temporis spatio sæpius repetitæ, requirebantur; & ab his magnum plerumque levamen ægri perceperunt, subinde his nihil mutatum fuit.

Balnea pedum mane & vesperi applicata (si ægri situm erectum ferre potuerunt, etenim erant plures, qui sedentes animi deliquium passi sunt) multum juverunt.

Egregium quoque effectum præstitere acria epispastica suris apposita; amavi potius ea suris applicare, quam plantis pedum, etenim omnes fere ægri conquesti sunt ingratum ardorem in plantis pedum, & propterea noctes habuerunt vigiles; quod tamen incommodum non sunt experti ab epispasticis, ad suras positis, & effectum inde æque bonum, aut subinde adhuc meliorem observavi.

Decoctum N. 36. his ægris plurimum profuit, idem decoctum calidum, capite in posteriora reclinato, aliquamdiu, & sæpius per diem in ore optimo cum effectu retentum est, idem gargarismatis loco quoque inservivit.

Præterea linctu ex mel. rof., fyrup. moror., & nitr. fauces femper humidas, & lubricas confervavi.

Collum totum cataplafmate emollientiffimo circumdatum eft.

Præterea dabatur omni altero vel tertio die purgans N°. 37.

His malum, quamvis peffimum, fæpe numero feliciter debellavi.

Quandoque vero hæc nihil effecerunt, vel adtulerunt tantum aliquod levamen, quod mox iterum evanuit.

Unde factis debitis evacuationibus, veficans latum & acre ei plagæ colli applicui, ubi maximus dolor fuit, effectus femper fuit optimus, ardorem quidem magnum ægris excitavit, verum mox diminuit dolorem, tenfionem, tumorem, & deglutitionem effecit longe faciliorem, unde dein remediis fupra laudatis, reliqua cura potuit abfolvi.

Quandoque malum ex una colli parte tranfivit ad aliam, ibidemque eafdem tragœdias eadem cum violentia lufit, & magnam excitavit febrem.

Unde denuo debuit vena fecari, & curatio eadem inftitui, quæ antehac requirebatur.

Sæpius & tunc iterum veficans debuit apponi.

Si venæ sectiones nimis frequenter fuerunt celebratæ, tunc dolor quidem, inflammatio, & partium rubedo disparuerunt, verum tumor albicans perstitit, qui sensim in scirrhum abiit.

Subinde tertio quartove die in locis inflammatis pustulæ flavescentes ortæ sunt, quæ ruptæ pus fuderunt.

Sæpe hæ pustulæ in unam vesicam confluxerunt, & inde satis magnum ulcus productum est.

Dolor plerumque desiit, dum pustulæ rumpebantur.

Decocta emollientia copiose hausta, & in ore calide retenta, ad emolliendas, maturandas, & aperiendas has pustulas multum contribuerunt.

Præterea tamen externe debebant cataplasmata emollientia applicari.

Et si ruptis pustulis dolor non cessavit, & si partes vicinæ æque tensæ manserunt, tunc necessarium erat in his quoque casibus vesicans apponere.

Magna adtentione opus erat, ut ulcera ex his pustulis orta, pura conservarentur, quod optime fiebat, si infusum N°. 38. leni vi ope syringæ in fauces & ad loca ulcerata injectum fuit, aut gargarismatis loco adhibitum.

Singula vice, post applicatum infu-

ſum N°. 38. magna cum dolorum alle-vatione obliniebantur partes exulceratæ medicamento N°. 39.

Hac ſimplici methodo plurimi reſti-tuti ſunt.

Quidam fuerunt, quibus, adhibita quamvis maxima cura, ulcera tamen ſordida manſerunt, & ſenſim caro fun-goſa excrevit.

Unde tunc loco medicamenti N°. 39. exhibebatur illud N°. 40. quod brevi carnes fungoſas conſumpſit, & ulcera munda reddidit.

Quatuor in ægris obſervavi anginam inflammatoriam brevi in gangrænam abiiſſe.

Unicus ex his obiit, tres curati ſunt.

Morbus incepit leni horrore, & mag-na virium proſtratione, pulſus fuit celer, inæqualis, parvus; crebras anxietates, & vagos calores, & obtuſum capitis dolorem hi ægri conqueſti ſunt, ſitis non fuit magna, lingua autem tremula, & plumbea, oculi triſtes, urina prodiit cruda, flocculenta, ſubfuſca, & brevi fœtens.

Primo ſtatim die in poſteriore faucium parte, & circa tonſillas apparuerunt maculæ latæ, purpureæ, hæ maculæ aut eodem adhuc die circa veſperas,

aut altero die in centro fuerunt lividæ, aut nigræ, & prodiit ichor, in ambitu autem manſerunt profundæ, rubræ, tenſæ, dolentes.

Deglutitio erat admodum difficilis.

Neque venæ ſectioni, neque remediis evacuantibus locus dabatur; vires debiles debebant erigi, putredo, & gangræna ſupprimi.

Ad partes igitur lividas aut nigras penicillo omni fere hora applicui medicamentum N. 21. & dein juſſi ægros decoctum emollientiſſimum N. 36. capite in poſteriora reclinato in ore calidum retinere, ut hac ratione partes adhuc tenſæ & dolentes emollirentur, & corruptum a ſano ſecederet.

Præterea ægris exhibui miſturam N. 25. & ſi hæc miſtura in faucibus magnum ardorem excitavit, tunc dedi deſuper aliquot uncias decocti emollientis.

His brevi temporis ſpatio, magna in melius mutatio obſervata eſt, etenim illud nigrum ſenſim receſſit, & ubi corroſio nondum profunda fuit, ulcuſcula mox pura comparuerunt; ubi vero corroſio major, & profundior aderat, ibi res paulo difficilius ceſſit.

Quamprimum nigrum & corruptum a ſano cœpit ſeparari, juſſi leniſſima manu

infuſum N. 38. injici, ut ſordes auferrentur, dein partes nudas decocto emolliente fovi, & oblinivi medicamento N. 21.

Si hæc ſedulo applicata non ſunt, tunc mox iterum ulcera fuerunt ſordida, & cœperunt vicinas partes arrodere.

Quamprimum omne impurum ſeparatum fuit, tunc ulcera viva non amplius tulerunt linimentum N. 21.

Unde ea ſæpius per diem infuſo N. 38. ablui, & dein ſolo melle roſaceo obduxi.

Et quoniam vires adhuc debiles fuerunt, exhibui alternis vicibus miſturam N. 20 & claretum N. 3. ut hac ratione putredini, adhuc timendæ, reſiſteretur, & erigerentur vires.

In principio morbi noctes fuerunt admodum inquietæ, anxiæ, licet omni veſpera datum fuerit paregoricum.

Dum vero res cœpit in melius mutari, tunc unica uncia ſyrupi diacodii tranquillus, & reficiens ſomnus potuit conciliari.

Hac ratione tres ægri optime convaluerunt, & intra ſedecim dies vires priſtinas recuperarunt.

Quartus autem æger tertio morbi die efflavit animam.

Verum præter pessimam anginam, primo statim die aderat diarrhæa putridissima, & maxime defatigans, facies ilico reddebatur lethalis, nec ullum medicamentum adtulit levamen.

Secundo die per universum corpus videbantur maculæ latæ, purpureæ, lividæ, vires erant exiguæ, pulsus minimus, sudor copiosus, fœtidus, viscidus, æger anxius anhelavit, & extrema mox fuerunt frigida, mox calida, genæ nunc purpureæ, aut lividæ, nunc frigidæ & pallidæ videbantur.

Diarrhæa nulli medicamento obedivit, faucium ulcera partes vicinas corroserunt adeo, ut magna frusta gangrænosa deciderint sponte.

Tertio die inter perpetua deliria, tendinumque subsultus & convulsiones mors supervenit.

In cadavere reperi plurima intestina gangrænosa, reliqua autem viscera sat bona erant.

Acre quod in faucibus hæsit, non tantum consumpsit tonsillas, velum pendulum, & uvulam, sed & ossa pallati, & vertebras colli arrosit.

Cortex peruvianus (remedium alias specificum & contra gangrænam efficacissimum) ore quamvis & ano copiosis-

ſime ingeſtus, nil mutavit. Neque laudanum liquidum quid boni efficere potuit.

Famulus, qui durante morbo huic ægro inſervivit, mox frequenti horripilatione correptus eſt, cœpit nauſeam conqueri, & vires ſunt proſtratæ, tandem febre peſſima petechiali afficiebatur.

Proſtantibus petechiis purpureis diarrhæa ſat mala, & admodum putrida orta eſt, verum hæc laudano liquido SYDENHAMI optime ceſſit, & reliquus morbus, licet periculoſiſſimus, miſtura N. 20. & clareto N. 3. alternatim exhibitis, atque largo potu ſeri lactis vinoſi feliciſſime curatus eſt.

Alia, æque mala, anginæ ſpecies plures in noſocomio ægros detinuit; hi enim ægri non tantum difficillime deglutiverunt, verum ſimul habuerunt reſpirationem brevem, denſam, & dolentiſſimam.

Præterea facies livuit, tumuit, oculi rubuerunt, lingua erat arida, tremula, turgida, pulſus durus, admodum febrilis, ſitis non delenda.

In faucibus nullus peculiaris tumor videbatur, verum larynx erat valde inflammata.

Eodem ſtatim die, quo hi ægri ad noſocomium devenerunt, venam bis, ter, quaterve (prout ſymptomata poſtularunt, & vires admiſere) tundi curavi.

Alvum enematibus, & remediis nitroſis, antiphlogiſticis fluxilem reddidi, collum totum cataplaſmatibus & fomentis involvebatur; præterea vapores aquæ ebullientis continuo faucibus applicati ſunt.

His quidem pulſus mollior factus eſt, verum deglutitio & reſpiratio æque malæ permanſerunt, & ægri debilitabantur.

Hinc rogavi Dominum HAFFNER chirurgum, ut totum collum veſicante acri circumdaret.

Hoc autem tantum habuit effectum, ut elevata epidermide non tantum deglutitio & reſpiratio fuerint longe liberiores redditæ, ſed & ipſa febris, & ſitis ilico remiſerint, aut deſierint penitus.

Neque ab actione veſicatorii decumbentes ardorem aut moleſtiam conquerebantur.

Poſtea ſolis decoctis emollientibus, & nitroſis, hi ægri intra paucos dies integre ſanati ſunt.

A ſolo igitur veſicante emplaſtro, debito tempore applicato, ſalus pependit.

Hoc autem diu differri non debet, ſecus inflammatio nimium violenta abit in gangrænam, quæ proſtratis ægrorum viribus eſt lethalis.

Angina inflammatoria ſeroſa frequenter quoque obſervata eſt; tonſillæ utriuſque lateris, velum pendulum, & uvula ſub flavo tumore diſtendebantur; dolor in deglutiendo erat æque acutus, ac in angina inflammatoria ſanguinea.

Pulſus plerumque durus & plenus ſæpius repetitas venæ ſectiones poſtulavit, & integra reliqua cura eodem modo perficiebatur, quo in angina inflammatoria ſanguinea.

Quandoque hæ partes flaccido œdematoſo tumore afficiebantur, & in tantam molem accreverunt, ut omnem fere tranſitum interceperint, his in caſibus dolor nunquam erat acutus, neque pulſus febrilis.

Hinc purgantia hydragoga omni alterno vel tertio die debebant exhiberi, & optimo cum eventu dabatur pulvis N. 41. vel hauſtus N. 42.

Facta evacuatione requirebatur gargariſma adſtringens, ut N. 43.

Fomenta ſicca circa totum collum; ut & frictiones aromaticæ erant his ægris valde utiles.

Et ſi præterea infuſis aromaticis, continuus & lenis ſudor excitatus fuit, tunc intra paucos dies deglutitio liberrima facta eſt.

Quandoque tonſillæ, uvulæ, & velum pendulum leviter tantum intumuerunt, muco autem adeo copioſo & tenaci involvebantur, ut deglutitio inde fuerit multum impedita.

Poſt validam coryzam frequenter tales anginæ mucoſæ ſequebantur.

Gargariſma N. 44. omni tertia hora applicatum, hos ægros ſubinde cito juvit, ſubinde autem gargariſma N. 45. celeriores effectus præſtitit.

Purgante raro opus fuit.

Ablato muco fauces erant plerumque valde ſenſibiles, & ab omni fere cibo & potu aut ab ipſo aëre acutus dolor excitabatur.

Huic autem irritabilitati, & nimiæ ſenſationi mox medebatur gargariſma N. 46.

Idem gargariſma utiliſſimum quoque fuit, dum a tuſſi phthiſicorum, vel ab alia violenta tuſſi fauces exſiccatæ ſunt, aut a ſputo acriori leviter excoriatæ.

Febris Hæmorrhoidalis.

MENSE februario & martio hæc febris admodum frequens fuit.

Primo die omnes ægri obtuſum capitis dolorem, & vagas horripilationes & calores conquerebantur.

Dein rigor & dolor tenſivus nucham occupavit, & vagus calor formicando totam dorſi ſpinam ſæpius perrepſit.

Tandem ortæ ſunt præcordiorum anxietates, & moleſtæ hypochondriorum tenſiones; quandoque ſupervenerunt vomendi conatus, & enormes colici dolores, & venter contractus eſt; quandoque autem abſque magno dolore colico, & ſine omni vomendi conatu venter intumuit.

Urina plerumque flammea fuit, & raro, atque iis tantum in caſibus, ubi nimis vehementes erant dolores colici, tenuis & cruda deprehenſa eſt.

Alvus erat pertinaciter clauſa, & non niſi repetito enemate pauca ſcybala potuerunt educi.

Subinde ani ſphincter inveniebatur adeo conſtrictus, ut tenuis canula vix potuerit introtrudi.

Sitim fere omnes hi ægri magnam habuerunt, & pulsus fuit celer, inæqualis, quandoque dicrotus, quandoque intermittens, attamen vix non semper plenus ac durus.

Nox fuit inquieta, & anxiis insomniis turbata.

Secundo die remisit dolor ventris, & hypochondriorum anxietas ac tensio, & pulsus fuit magis æqualis & liberior, sitis mediocris.

Verum circa lumbos ortus est dolor gravans, dilacerans, & rigor; accessit alvi tenesmus, & urinæ retentio.

Nuchæ autem dolor sese versus verticem & tempora extendit, atque capitis motum valde difficilem & dolentem reddidit.

Nox iterum inquieta fuit, & cor per vices solito fortius palpitavit.

Tertio die tantus circa vertebras lumborum & os sacrum dolor ortus est, ut ægri se nequaquam movere potuerint; anus fortissime contractus est.

Nox quartum diem præcedens fuit omnium inquietissima; hac autem transacta ægri melius habuerunt.

Nam quarto die fere penitus desiit lumborum, nuchæ, & ossis sacri dolor,

&

& tubercula diverſæ magnitudinis circa anum comparuerunt.

Hæc tubercula quandoque fuerunt mollia, & ægris nullam moleſtiam excitarunt, atque tunc quarto die, ortis his tuberculis, febris penitus deſiit.

Quandoque autem hæc tubercula fuerunt valde rubra, tenſa, & ingentes produxerunt dolores, tormina, teneſmos, vertigines, & membrorum ſtuporem, & ſæpe tantas anxietates, ut ægri inciderint in animi deliquium, & extrema fuerint gelida.

Inter omnes ægros bini tantum fuerunt, quibus quarto die, ceſſante febre, nulla tubercula circa anum prodierunt, verum effluxit ſanguis copioſus abſque dolore, & tumore.

Morbus hic moleſtus & periculoſus fuit, & medicamentis perverſo modo adhibitis, potuit lethalis fieri.

Etenim quamvis cognitum fuerit, febrem eſſe hæmorrhoidalem, & criſin verſus anum eſſe futuram, nullis tamen remediis pellentibus, & tumores hæmorrhoidales promoventibus uti licuit; nam hæc febrem & morbum exacerbarunt.

Primo & ſecundo die, dum pulſus plenus & durus fuit, repetitis vicibus debebat ſanguis e vena emitti, his ta-

men naturæ vis non erat nimium debilitanda, secus accesserunt convulsiones; & morbus factus est diuturnus, & anomalus.

Si dein decoctis antiphlogisticis, subacidis, nitrosis alvus leniter aperta, & fluxilis reddita est, tunc morbus cito levabatur.

Qui decocta subacida, & nitrosa ferre non potuerunt, his demulcentia, emollientia, & oleosa profuere.

Nec leve levamen sequebatur, si super toto abdomine mollissima cataplasmata sunt posita.

Enemata emollientissima ut N. 47. leni vi & apta manu ano sæpius injecta multum quoque juverunt.

Etenim horum ope dura & numerosa scybala prodierunt, & intestini recti vasa sunt emollita & apta reddita ad crisin suscipiendam.

Nimii vomendi conatus, dolores colici, & tenesmi, si emollientibus non cesserunt, tunc remediis paregoricis debebant mitigari, supprimi.

Tertio & quarto die vapores aquæ emullientis ano applicati, diminuerunt dolores, & crisin reddiderunt faciliorem.

Quarto die si tubercula hæmorrhoi-

dalia apparuerunt, & si omnes dolores, & febris cessarunt, tunc fere nullis amplius medicamentis opus fuit; in sola vivendi ratione erat adtendendum, ne acida, adstringentia, aut acria aromatica assumerentur.

His in casibus intra paucos dies sæpissime perfecta sequebatur curatio, & vasa turgida sponte iterum detumuerunt.

Si autem tumente hæmorrhoide novus dolor circa anum ortus est, si tubercula valde rubra, calida, pulsantia, & tensa fuerunt, si sitis increvit, & pulsus major, fortior, ac durior factus est, tunc plerumque repetitis vicibus debebat iterum sanguis mitti, & anus cataplasmatibus probe foveri.

Decocta emollientissima cum pauco nitro hic optime conveniebant, & brevi dolores mitigati sunt, præsertim si hæmorrhois admisit, ut talia simul enemata injicerentur.

Si adfuit ingens dolor, & tenesmus admodum molestus ac anxius, tunc opio erat utendum.

Hæc eadem remedia optime adhibebantur, dum tumores hæmorrhoidales intra ani sphincterem latuerunt.

Sanguisugæ circa anum iis in casibus

necessario debebant poni, in quibus ab hæmorrhoide regurgitante fiebant caligines, vertigines, sopores, convulsiones.

Dum urina a dolore hæmorrhoidali retinetur, vitanda sunt omnia fortiora diuretica, solis decoctis ex radice althææ, & glycyrrhiz utendum est, & venter, & partes circa anum debent emollientissimis cataplasmatibus involvi, foveri.

Vidi a dato his in circumstantiis spiritu therebinthinæ urinam magis fuisse retentam, intumuisse ventrem, ortum esse enormem in pelvi dolorem, & ægrum tertio die post multas anxietates, & post crudeles mingendi ac alvum deponendi tenesmos obiisse.

Totum intestinum rectum, & pars vesicæ, huic adjacens, erat inflammata, aut gangrænosa.

Molles & non dolentes hæmorrhoidum tumores, si sponte non abeunt, felicissime dispelluntur unguento N. 48.

Si vero adest tenesmus, & dolor dilacerans absque ulla inflammatione, tunc præfertur unguentum N. 49.



Morbilli.

MULTI pueri morbillis decubuerunt.

Curatio autem nequaquam fuit difficilis.

Decocta emollientia, expectorantia, addito stibio diaphoretico non abluto, & melle puro, vel melle pectorali, vel oxymelle simplici, aut oxymelle scillitico, &c. omni ex scopo satisfecerunt.

Morbilli, licet copiosi & densi quandoque comparuerint, nullum tamen levamen produxerunt, & omnes hi ægri debebant sputis judicari, hæc si non prodierunt, ortum est delirium, anxietas, membrorum inquietudo, sudor defatigans, & pulsus inæqualis.

A quarto die incipiendo omni vespera requirebatur sat forte paregoricum; etenim absque hoc, nox fuit inquieta, & sequenti die nullum fere sputum educebatur, & tussis erat molesta, sicca.

Verum quidam ægri continua, irrita & nimium defatigante tussi vexati sunt, & perpetuo jactitarunt membra, delirarunt, & tendines subsultu agitabantur, nullus tamen observabatur sopor,

unde omni quarta, quinta, vel ſexta hora uncia dimidia, vel uncia integra ſyrupi diacodii optimo cum effectu his data eſt.

Soporoſis autem veſicantia erant neceſſaria, & maxime utilia.

Remedio ſtimulante interno nunquam opus fuit.



Variolæ.

QUINQUAGINTA ſeptem ægri tempore quatuor menſium in noſocomio variolis laborarunt.

Plerique magno in periculo verſabantur, omnes tamen evaſerunt.

Admodum pauci erant, qui leves tantum nauſeas, & obtuſos capitis ac ſpinæ dorſi dolores conqueſti ſunt, & oculos habuerunt ſolito triſtiores.

Hi levi febricula afficiebantur, neque magna ſiti vexati ſunt, & tantas adhuc conſervarunt vires, ut tota die extra lectum eſſe potuerint.

In principio quarti diei, aut ſub finem tertii pauca variolarum ſtigmata in collo, facie, aut pectore comparuerunt, quinto die hinc inde in extremi-

tatibus unum alterum ſtigma viſum eſt.

Febris tunc omnis abſuit, & prorſus nil mali obſervabatur, & noctes fuerunt quietæ.

Septimo die ægri levem circa puſtulas tenſionem & dolorem perceperunt: febris fuit admodum mitis.

Nullus unquam in facie, aut extremis tumor obſervatus eſt; decimo aut undecimo die cœperunt puſtulæ exſiccari, & pulſus fuit penitus naturalis, & rediit appetitus, & valetudo.

Hic nullo medicamento opus erat, ſolis tenuioribus juſculis, & ſimpliciſſimis infuſis herbæ ſcabioſæ, veronicæ, hederæ terreſtris, &c. optime hi ægri conſervati ſunt, neque paregoricis utendum fuit, quoniam ſponte dormiverunt.

Circa alios ægros longe major cura requirebatur, quoniam omnia ſymptomata mala erant.

Etenim omnes conquerebantur ingentem capitis ac ſpinæ dorſi dolorem, atque rigorem moleſtum, ingeſta fere omnia anxio vomitu rejecta ſunt, epigaſtrium erat valde tenſum, & dolens, oculi fuerunt turbidi, lachrymantes, ſitis magna, urina flammea, pulſus ce-

ler, quandoque inæqualis, rarissime tamen adeo plenus aut durus, ut venæ sectio debuerit celebrari.

Nullus horum ægrorum extra lectum se potuit sustinere.

Fere omnibus in principio exhibui misturam simplicissimam N. 50. & præterea dedi copiosum decoctum radicis althææ, foliorum althææ, verbasci, &c. addito pauco nitro, & ex syrupo de althæa quantum satis erat ad gratam dulcedinem.

Ob nimium capitis dolorem plantis pedum applicabatur emplastrum de ladano.

Si vomendi conatus a materie in ventriculo hærente producebantur, tunc ilico data est sufficiens ypecacuanhæ dosis.

Verum nimiæ & irritæ vomituritiones, a solo inordinato nervorum motu excitatæ, paregoricis sopitæ sunt.

Quidam jam primo aut secundo morbi die delirarunt, quidam soporosi jacuerunt.

Tertio die circa vesperas pauca plerumque variolarum stigmata in facie, aut collo comparuerunt.

Quarto die jam aderant copiosiora, & cutis rubuit, hæc autem rubedo fuit

inconſtans, etenim frequenter abiit, & rediit.

Hoc die remiſit febris.

Iiſdem medicamentis ſemper continuatum fuit, & veſperi datum eſt paregoricum.

Quinto die ſtigmata in exiguas puſtulas elevata ſunt.

Sexto die hæ puſtulæ fuerunt majores, & cutis cœpit tendi, dolere.

Circa veſperas ſexti diei quidam ægri anhelarunt, & debiles facti ſunt; unde medicamento leniter ſtimulante, & nervino opus fuit, miſtura N. 51. egregios præſtitit effectus.

Qui autem vires ſufficientes conſervarunt, ii tali medicamento non habuerunt opus.

Septimo die puſtulæ elevatæ ſunt, & cœperunt circa apicem flavere, albeſcere.

Qui tunc debiles erant, utebantur miſtura N. 51. & qui vires ſat magnas retinuerunt, iis ſuffecit miſtura N. 50. vel decoctum emolliens, aut infuſum diluens, antiphlogiſticum.

Octavo die puſtulæ inveniebantur pure plenæ, & intermedia cutis aut læte rubuit, aut naturalem habuit colorem.

In multis autem puſtulæ in medio conciderunt, & fuſcam recluſerunt materiam; & cutis interpoſita hinc inde ſublivida fuit, aut purpurea, & pulſus valde debilis; atque hi ægri continuo ſudarunt, & mox frigida erant extrema, mox calida, & facies mox rubuit, mox palluit.

Quamprimum mala hæc ſigna obſervata ſunt, ilico dabatur miſtura N. 25. præterea neceſſe fuit omni quinta vel ſexta hora laudani liquidi SYDENHAMI guttas X. vel XII. vel XV. exhibere.

Nono die omnes fuerunt inquieti, & facies valde intumuit, & oculi ob nimium palpebrarum tumorem quandoque clauſi ſunt.

Haud raro variolæ in unam cruſtam confluxere, & hac ratione facies tota quaſi fuſco corio tecta apparuit, aëris tranſitus per nares intercludebatur, & reſpiratio fuit difficilior, pulſus celer, attamen ſat æqualis, urina autem ardorem excitavit, ſubinde quædam puſtulæ ruptæ ſunt, & materies tenuis, ſubfuſca, effluxit, & brevi fœtuit, & partes nudas arroſit.

Quare neceſſe erat ſæpiſſime faciem totam tenſam, & tumidam lacte calido abluere, humectare, emollire.

Palpebrarum concretio plerumque potuit impediri, si eæ lacte calido, in quo pauca quantitas seminum cydon. coquebatur, sæpissime fotæ fuerunt.

Decimo die eadem prorsus symptomata deprehensa sunt.

Ii, qui variolas melioris notæ habuerunt, vires autem debiles misturam N. 51. continuarunt; ii vero, qui malis variolis decubuerunt, adhuc usi sunt mistura N. 25. & magna laudani liquidi SYDENHAMI copia.

Dies undecimus fuit plerumque anxius, malus, eo tamen finiente omnia symptomata iterum in melius mutata sunt, & tumor faciei imminutus est, & pustulæ cœperunt exsicarri.

Duodecimo die ii, qui benignis variolis decubuerunt, nulla amplius febre vexati sunt, & omnia signa erant bona, & pustulæ exsiccabantur in facie, & collo; in extremitatibus vero manserunt adhuc molles, & purulentæ.

In iis autem febris continuavit, qui pejoris notæ variolas habuerunt; verum cutis intermedia inter pustulas, quæ antea semper purpurea aut sublivida fuit, nunc læte rubuit, & hinc inde ex facie quædam lamellæ crustaceæ separabantur.

Loca tunc nuda debebant lacte te-

pido, vel decocto emolliente frequenter ablui, & foveri, secus serum acre, quod profluxit, profundas foveas, & fœda ulcera formavit.

Cavendum erat præterea, ne ægri unguibus faciem multum læderent.

Decimo tertio die facies tota detumuit, & secesserunt magnæ crustæ, & omnia fuerunt satis bona.

Decimo quarto die febris penitus cessavit, & rediit appetitus, & increverunt vires.

Quamvis nunc ægri extra omne fere periculum esse viderentur, misturam tamen N. 25. sedulo exhibere perexi.

Verum decimo septimo die nullum amplius medicamentum requirebatur, quoniam omnes extra lectum sedere, vel ambulare potuerunt, & nil conquesti sunt.

In bonis variolis dedi decimo quinto, aut decimo sexto die purgans antiphlogisticum.

In malignis autem die vigesimo, aut si vires adhuc debiles fuerunt, die vigesimo quarto, aut tardius.

Durante morbo alvus in aliquibus ægris quotidie sponte solvebatur, in aliquibus vero retenta est, unde si tormina, & tensiones, ac borborygmi &c.

ſupervenerunt, eam enemate emolliente ſollicitavi; ſi ſimilia ſymptomata obſervata non ſunt, & ſi æger cœteroquin ſat bene habuit, eam ſæpius in tertium quartumve diem intactam reliqui.

Urina erat inconſtans; etenim mox naturalem habuit colorem, mox rubra, aut flammea fuit, & craſſam ad fundum nubem dimiſit, mox turbida, craſſa, jumentoſa, craſſum & inæquale ſedimentum poſuit; mox tenuis & ſubviridis in ſuperficie geſſit cuticulam ſalinam multis coloribus variegatam, & tetrum odorem ſparſit.

Ab octavo aut nono die uſque ad morbi finem ſæpius obſervavi, copioſiſſimum & verum pus cum urina profluxiſſe.

Nullam poſt variolas malam ſequelam vidi.

Binos pueros, & unam puellam in noſocomio habui, qui admodum diſcretis variolis laborarunt, febris tamen die quarto (ut alias contigit) non remiſit, & die ſexto vires fuerunt debiles, & reſpiratio anxia, & acceſſit delirium.

Septimo die proruperunt petechiæ, coloris purpurei, variolæ autem erant optime elevatæ, & ex flavo albæ.

Vires manſerunt debiles, verum ceſ-

ſavit delirium, & pectoris anxietas.

Pro medicamentis præter paregorica, quæ omni ſexta hora exhibebantur, dedi alternis vicibus miſturam N. 25. & claretum N. 3. & his augebantur vires, & ægri omne periculum ſuperarunt.

Decimo quarto die omnia ſymptomata erant valde mitia, unde tunc veſperi ſolummodo paregoricum dabatur, in reliquis vero ſtrenue continuatum eſt.

Decimo ſeptimo die ceſſavit febris, & dein integra ſanitas rediit.



De Morbis Chronicis.

Febres intermittentes.

OMNIS generis febres intermittentes hoc anno iterum in noſocomio obſervatæ ſunt.

Febres autem tertianæ duplicatæ frequentiſſime occurrerunt, & eorum paroxyſmi adeo fuerunt protracti, ut inde febris continua remittens fere ſemper fuerit orta.

Rigor ſpinæ dorſi, aucta pulſus celeritas, ſitis major, extremorum frigus, dum ſtata hora ægros aggrederentur, ſpeciem ſimilium febrium determinarunt.

Quotidianam duplicem quoque pluries vidi.

Methodum, quam in anno primo medico descripsi, hoc quoque anno secutus sum, & ægri cito & sat facile liberati sunt.

Tempore vernali omnes fere, qui febre intermittente laborarunt, vomitorio opus habuerunt.

Dedi in principio remedia digerentia, diluentia, purgantia &c. nullum tamen inde effectum expertus sum, nam manserunt continuæ præcordiorum oppressiones, nauseæ, & vomitus, & oris amaror, sordities, & ructus amari, fœtidi, ovum putridum redolentes, quandoque spirantes acidum.

Sæpissime unicum vomitorium febrem sat violentam sustulit, quandoque tamen id debuit aliquoties repeti.

Cortice peruviano numquam opus habui, nisi casus fuerint admodum periculosi.

Uti contigit in aliquibus ægris, qui post primum & secundum paroxysmum erant adeo debiles, ut nequaquam se sustinere potuerint; etenim nimis largo & fœtidissimo sudore vires omnes conciderunt, & facies facta est moribunda.

Et hic magna copia tempore interca-

lari debebat aſſumi cortex, ut certus ſequeretur effectus.

Fuit vir triginta trium annorum, qui omni alterno die circa nonam matutinam per totum corpus ſenſit horrorem, dein frigus ingens, tandem pectoris ſummam anguſtiam, & pulſus deprehendebatur admodum febrilis.

Remittente frigore ingrata aderat faucium ſiccitas, & titillatio, hanc tuſſis ſicciſſima, & violentiſſima excepit, intumuit facies, livuerunt labia.

Tandem tuſſi prodiit copioſiſſimus, ſpumoſus ſanguis, & mox ceſſavit titillatio, pectoris anxietas, & æger longe melius habuit, & ſenſim ſiluit tuſſis, & ſputum ſanguineum.

Finito paroxyſmo nullam omnino moleſtiam æger conqueſtus eſt, nec reſpiratio videbatur difficilis, & vires fuerunt ſatis bonæ, viguitque appetitus.

Poſtquam tres tales paroxyſmos obſervavi, dedi intra triginta tres horas unciam unam cum dimidia corticis peruviani.

Effectus fuit optimus, & nullum amplius paroxyſmi ſignum rediit.

Per plures dies parvam adhuc quotidie corticis doſin exhibui, æger autem inde optimam ſanitatem obtinuit.

Etenim brevi temporis ſpatio pinguis factus eſt, liberrime reſpiravit, neque in ambulando, neque in aſcendendo ſcalas ullum in pectore incommodum ſenſit, nec ulla tuſſi deinceps vexatus eſt.

Puer, novem annorum, quotidie circa ſecundam pomeridianam peſſimis totius corporis convulſionibus excruciatus eſt, & his ceſſantibus tetanus univerſalis ſupervenit, qui autem poſt octo circiter minuta ſenſim deſiit, & ægro rediit mens, & ſequebatur largus ſudor.

Omnes ægri in eodem cubiculo decumbentes, quoniam hunc epilepticum crediderunt, ejus conſortium evitarunt.

Tentavi diverſiſſima remedia in his convulſionibus decantata, & alias optimo cum effectu exhibita, verum in omnibus fruſtra fui, & æger intra ſex dies omnibus fere viribus orbatus eſt.

Quare tempore intercalari drachmas ſex extracti corticis peruviani in miſtura præbui.

Altero die nullæ convulſiones obſervatæ ſunt, verum æger ea hora, qua paroxyſmus debuiſſet reverti, fuit multo debilior, anxius, & faciei color ſæpius mutabatur, poſt lenem autem ſudorem æger dormivit, & melius habuit.

Dedi dein adhuc per octiduum quoti-

die unciam dimidiam extracti corticis peruviani, & quotidie ægri vires auctæ ſunt, & nullum amplius convulſionis veſtigium viſum eſt.

Poſt ſex menſes vidi hunc puerum adhuc integre ſanum, robuſtum, & ab omni convulſione immunem.

Plures erant ægri, quibus quotidie, prægreſſa horripilatione, pulſus longe celerior factus eſt, deinde acceſſit major ſitis, & mox per totum corpus maculæ ſublividæ, prurientes eruperunt.

Poſt binas ternaſve horas pulſus iterum ad naturalem ſtatum rediit, ægri ſudarunt, & maculæ diſparuere.

Multi ſolo infuſo herbæ fumariæ, & uſu conſervæ N. 27. vel 29. reſtituti ſunt.

Si autem his febris non ceſſit, & ſi poſt repetitos paroxyſmos ægri valde debiles fuerunt, tunc adhibenda erat conſerva N. 30. qua ſemel aut bis abſumpta nullus amplius paroxyſmus rediit, nec maculæ amplius viſæ ſunt.

Verum torpor in membris remanſit, & laſſitudo, quæ præſertim matutino tempore poſt ſomnum obſervata fuit.

Has autem reliquias continuatus uſus conſervæ N. 27. & largus potus infuſi fumariæ ſuſtulerunt.

Alii in nosocomio ægri decubuerunt, qui quotidie determinata hora per omnia membra senserunt formicationem, dein dolorem tensivum, dilacerantem, tandem tota cutis cœpit albo, flaccido tumore inflari; & orta est magna pectoris anxietas, sitis ingens, & pulsus fuit parvus, inæqualis, intermittens.

Sub paroxysmo aderat anxium delirium, & continua membrorum jactitatio.

Talis exacerbatio plerumque quinque vel sex horas duravit, dein ægri sponte dormire cœperunt, & copioso sudore persusi sunt, & tumor totus iterum disparuit.

Post somnum pulsus fuit lentus, parvus, & ægri fuerunt valde debiles, appetitus languit.

Saturata infusa amaricantia herbæ absinth., centaur. min., chamædr., fumar., card. bened. &c. rad. helen., pyreth. gentian. &c. his in casibus multum effecerunt, & his solis plerique curati sunt.

Quidam tamen post paucos paroxysmos vires plurimas deperdiderunt, quapropter cortice peruviano opus fuit, qui tantos ilico præstitit effectus, ut non tantum febris cessaverit, sed & omnis

tumor diſparuerit, & brevi redierint vires & ſanitas.

Sub uſu corticis peruviani quoque infuſa amaricantia exhibita ſunt.

Frictiones tempore paroxyſmi applicatæ febrem & anxietates auxerunt.

Verum ceſſante febre ad tumoris reliquias diſpellendas multum contulerunt.

Binos habui in noſocomio ægros, qui febre intermittente quartana laborarunt; tempore apyrexiæ pulſus fuit fortis, æqualis, & ægri appetierunt, & tantas habuerunt vires, ut citra omnem moleſtiam extra lectum eſſe, & ambulare potuerint.

Calor febrilis poſt quamlibet exacerbationem deſiit abſque ullo ſequente ſudore, vel notabili tranſpiratione.

Adhibui diverſa remedia, & in cujuslibet uſu aliquamdiu perſtiti, ut verum effectum experirer; nil autem potui immutare.

Febris manſit vehemens, & ægri cœperunt vires amittere, & emaciati ſunt.

Hinc ad corticem peruvianum tranſcendi, & primo intervallo integram unciam cuilibet ægro ingeſſi.

Verum neque hæc corticis doſis paroxyſmum reddidit mitiorem, imo frigus videbatur longe majus, & moleſtius.

Dedi igitur altero intervalli ſpatio corticis peruviani ſelectiſſimi unciam unam cum dimidia ; & neque hac doſi quidquam mutatum fuit.

Tertio intervallo tentavi extractum corticis peruviani, & id in miſtura ad unciam unam & mediam exhibui : effectus denuo nullus inde ſequebatur.

Remedia ſudorifera omnis generis tentata nullum ſudorem potuerunt elicere ; ſudorem tamen judicavi eſſe neceſſarium, quoniam omnis paroxyſmus febrilis ſudore alias ſolvi ſolet, & quoniam aliæ excretiones ad morbi alleva- tionem nihil contulerunt.

Urina copioſiſſimum lateritium ſedimentum poſuit ſine levamine.

Frictiones igitur ad ſudorem eliciendum tunc applicui, & eo tempore, quo lenes inceperunt horripilationes, integram ſpinam dorſi, & os ſacrum juſſi aliquamdiu pannis laneis, calidis, & camphora probe impraegnatis, perfricari, dein ſuper totum dorſum tales pannos, camphora imbutos, apposui, & ægrum lecti ſtrangulis probe tegi curavi.

Corpus præterea infuſis theatis implevi.

Intra breve temporis ſpatium calor

per omnia membra urens ſecutus eſt, qui autem mox in largiſſimum ſudorem mutabatur.

Sudorem infuſis & juſculis tenuioribus, & leni lecti calore per integras tres horas conſervavi; & hac ratione paroxyſmus admodum mitis fuit.

Dum adverti pulſum ad ſtatum naturalem redire, & exacerbationem ad finem tendere, exhibui hauſtum paregoricum, quo brevi ſomnus blandus productus eſt, & ægri inde multum reficiebantur.

Unus ex his, eo tempore, quo alter paroxyſmus debuiſſet reverti, leviſſimas tantum horripilationes & dolorem capitis conqueſtus eſt, alter autem manſit æque alacer, agilis, & nil omnino incommodi ſenſit.

Hunc igitur reliqui ſine medicamentis, ut viderem, an hoc modo unica vice febris eſſet ſuppreſſa.

Priori autem exhibui copioſa infuſa, applicui frictiones, & eum denuo ad ſudores diſpoſui.

Verum mox ſponte cœpit dormire, & copioſe ſudare, nec paroxyſmi violentiam percepit.

Neque poſtea ullum amplius febrile ſignum habuit.

Hic igitur binis frictionibus, & alter unica a pertinacissima febre liberatus fuit.

Ab eo tempore, quo cœperunt frictiones applicari, & sudor comparere, nulla urina amplius sedimentum lateritium deposuit, sed omnes fuerunt naturales.

Solis nutrientibus postea hi ægri integre convaluerunt; & erant adhuc fugata febre per binas septimanas in nosocomio, & ea omnia, quæ iis offerebantur, comederunt, & nullam recidivam passi sunt.

Haustus N. 72. si dimidia hora ante febris insultum exhibeatur, sæpe pertinacissimas febres intermittentes jugulat, fugat.

Verum qui hoc remedio utuntur, pulmones integros habeant, necesse est.

Ego in fugandis febribus, quæ contra ipsum corticem peruvianum rebelles erant, optimos ab hoc haustu effectus aliquoties observavi.

Autumno & hyeme admodum numerosi ægri in nosocomio decubuerunt, qui febre intermittente pectorali laborarunt.

Hi ægri nil conquesti sunt, verum erant debiles, pulsum habuerunt mol-

lem, plenum, celeritate naturali fere æqualem, quandoque undulantem, appetitus fuit admodum exiguus, sitis nulla, respiratio naturali paulo brevior, verum neque anxia, neque laboriosa, facies autem fere semper fuit rosea, & cutis leni sudore maduit, urina prodiit cruda, flocculenta, subviridis, aut valde tenuis, alvus fuit immorigera.

Hi ægri frequenter gemuerunt, nulla autem tussi vexati sunt, screatu quandoque gluten rejecerunt.

Quotidie determinata hora senserunt horripilationes, frigus, & dein ortus est magnus calor, cui jungebatur tussitatio, & sitis, & pectoris anxietas, & respiratio celeris, facies fuit magis incensa, urina prodiit flammea, caput vehementer doluit, pulsus factus est durus, valde febrilis.

Horripilationes & frigus ultra horæ quadrantem nunquam durarunt, calor autem & sitis & anxietas per binas, tres, & quandoque per quatuor horas continuarunt.

Desinente calore secutus est largus sudor, qui ægros multum defatigavit.

Ob magnam ægrorum debilitatem sæpissime corticem peruvianum, ad hanc febrem fugandam exhibui, nullus autem unquam

unquam effectus obſervatus eſt, paroxyſmi eodem tempore, & eadem vehementia reverterunt; imo anxietates quandoque poſt uſum corticis majores ortæ ſunt.

Qui non plures tales ægros viderunt, non poterant facile cognoſcere malum in pectore latere, quoniam ægri rogati ſemper reſponderunt, pectus eſſe omnino liberum, & quoniam nulla fere tuſſis obſervata eſt.

Remedia antifebrilia nil juverunt, decocta autem emollientia, expectorantia his ægris maxime conduxere.

Quamprimum ſputum copioſum cœpit prodire, ſymptomata omnia leviora facta ſunt, & paroxyſmi, qui febrem intermittentem mentiebantur, ſenſim evanuerunt.

Paregorica veſpertina magnum levamen adtulerunt, etenim ſine his noctes fuerunt vigiles.

Sub finem hujus morbi ſecuta eſt quandoque diarrhæa glutinoſa, quæ mox reſtituit appetitum, & levavit præcordiorum anguſtias.

Adhibita quamvis omni cura, tres tamen ægri, hac febre affecti, contabuerunt.

Sub finem intumuere pedes, dein manus & brachia.

Hi ægri nunquam potuerunt supine jacere, ilico enim anxii fiebant, & fere suffocati sunt, haud raro e somno subito evigilarunt.

Post mortem pulmones reperti sunt flaccidi, mucosi, & multum gluten subflavum gelatinæ instar, intra membranam, pulmones exterius ambientem, effusum hæsit.

A materia rheumatica, arthritica, scorbutica, podagrica, venerea, &c. variæ febris intermittentis species quandoque producuntur, & veræ fiunt apyrexiæ; nihilominus tamen remedia antifebrilia non juvant, sed requiruntur talia, quæ in his affectionibus fere specifica sunt.



Hydrops.

HAUD paucos numeravimus in nosocomio, qui hydrope decubuerunt.

Ascites raro sola observata est, etenim huic anasarca plerumque jungebatur.

Eadem methodo, quam in anno medico primo laudavi, & explicui, plurimi ab hydrope integre liberati, & persanati sunt.

Ii tantum hoc morbo obierunt, qui alio simul malo affecti erant, qui laborarunt phthisi, aut qui aliquod viscus corruptum, aut adeo induratum & obstructum habuerunt, ut nullo medicamento quidquam effici potuerit, aut qui jam adeo debiles, & emaciati ad nosocomium intrarunt, ut palliative solummodo cum iis fuerit agendum.

Neque ego solus hac medendi ratione felix fui, verum & optimus meus Collega COLLIN iisdem prorsus medicamentis usus, plures quoque ex periculissimo hoc morbo eripuit.

Lætabamur sæpissime invicem, dum videremus ægros jam fere morituros, ope remediorum denuo reviviscere, & penitus convalere.

Hac ratione evidenter experti fuimus naturam aberrantem non tantum ad rectum tramitem quandoque posse redigi, sed & cogi ad bene operandum.

Paracentesis abdominis audacter instituebatur, dum nimirum medicamenta secundum artem & rationem adhibita nil effecerunt, aut dum ab iisdem ægro-

rum vires multum imminutæ ſunt ſine morbi levamine.

Paracenteſi abdominis tres ægri hoc anno integre ab hydrope liberabantur, & ſex ſeptimanis ab operatione (etenim quemlibet tamdiu retinui, ut viderem annon metus eſſet morbi revertentis) ſaniſſimi ex noſocomio diſceſſerunt.

Sola aſcite laborarunt, cœteroquin ſaniſſimi.

Medicamenta nullam prorſus in tumore mutationem effecerunt, & uſu acriori vires imminutæ ſunt.

Id autem in his ægris maxime animadvertendum videbatur, quod tumor abdominis ad certam altitudinem elevatus, non amplius increverit, & ſub eodem volumine ſemper perſtiterit.

Primus horum ægrorum erat vir 44. annorum, qui eandem abdominis molem a binis annis geſſit.

Morbi cauſam ignoravit, etenim venter ſine ulla moleſtia ſenſim intumuit.

Paracenteſi eductæ ſunt quadraginta octo libræ ſeri limpidiſſimi, inodori, abdomen poſt peractam paracenteſin fuit faſciis probe ligatum.

Neque ullum malum ſymptoma ſupervenit.

Secundus æger fuit juvenis novem-

decim annorum, qui ex nimio corporis motu vehementer ſudavit, & ſubito frigidam hauſit.

Quo facto ilico per totum corpus ſenſit horrorem, rigorem, ventriculus acute doluit, & venter cœpit tendi. Sudor derepente ſuppreſſus eſt, & intra viginti octo horas vix uncia una urinæ prodiit, idque anxio cum teneſmo, & moleſto ardore.

Vires mox proſtratæ ſunt, & venter ſpatio ſeptem dierum in ingentem molem accrevit.

Hoc in ſtatu in noſtrum noſocomium hicce æger ingerebatur.

Datum purgans alvum quidem copioſam eduxit, moles tamen & durities ventris nequaquam mutatæ ſunt.

A remediis diureticis urina aut penitus ſuppreſſa eſt, aut facta ſtranguroſa.

Demum quo plura medicamenta data ſunt, eo pejora acceſſerunt ſymptomata, & appetitus, qui antea viguit, deletus eſt, anxius fuit æger, & noctes habuit inſomnes, ructibus diu noctuque excruciabatur, flatus per inferiora penetrare non potuerunt, unde continui borborygmi dolores colicos excitarunt.

Æger tandem ab omnibus medica-

mentis abhorruit, unde conclusi paracentesi aquam educere.

Dominus HAFFNER chirurgus hanc operationem felicissime instituit, & effluxerunt sexaginta duæ libræ limpidissimæ, & insipidæ lymphæ.

Ilico a peracta operatione æger nil omnino conquerebatur, & pulsus fuit liber, sat æqualis.

Verum post horæ circiter spatium cœperunt extrema frigere, facies pallere, ortæ sunt anxietates & vagi calores, & supervenerunt frequentes leipothimiæ, & tormina; pulsus interim fuit inæqualis, parvus.

Juscula tenuiora frequenter exhibebantur, & præterea sæpius datum est cochleare unum vel alterum vini generosi austriaci, ut hac ratione refocillarentur vires.

Postquam æger magnas anxietates, & fere lethale frigus per aliquod tempus perpessus est, cœpit vomere materiem æruginosam, & prodiit simul alvus copiosa biliosa, admodum fœtida, & dein dolores & anxietates remiserunt.

Hæc dum mitiora fiebant, conquerebatur æger magnum ardorem circa penis glandem & in urethra; dein secutus est dolor valde acutus in inquinibus;

& toto hypogastrio, & omnes partes vicinæ cœperunt tendi, dolere, inflari.

Applicata igitur sunt fomenta, & cataplasmata emollientia, quibus dolor mox mitigatus fuit, tensiones desierunt, & dein intra aliquot minuta prodierunt novem libræ urinæ limpidissimæ.

Postea æger blandissimo somno prehendebatur, ex quo post quatuor horas evigilans se ab omni dolore, & anxietate liberrimum esse affirmavit.

Ab eo tempore nil mali amplius observatum est, æger longe majorem sanitatem post hunc morbum obtinuit, quam ea fuit, qua antehac fruebatur.

Per tres septimanas omni octiduo huic ægro dedi scrupulos duos pulveris cornachini, ut hac ratione recidivam impedirem.

Dum elapsis sex septimanis e nosocomio discessit, rogavi, ut ilico me adiret, si minimam in ventre molestiam adverteret.

Verum non rediit; hinc eum adhuc sanum judico.

Femina, 27. annorum, tempore suæ ultimæ graviditatis, ventrem habuit triplo ampliorem, quam antehac his in circumstantiis habere solebat.

Vagas anxietates subinde animadvertit,

& alvum ſemper habuit pertinaciſſime clauſam, cœteroquin tota graviditate optime valuit, & robuſta fuit.

Emenſo graviditatis tempore puerum peperit ſanum, omnes autem circumſtantes augurabantur plures fœtus.

Partu peracto ventris moles fere æque magna fuit, ac antea; verum fluctuatio tunc obſervabatur.

Lochia optime proceſſerunt, alvus autem manſit maxime immorigera, & urina fuit teneſmoidea. Cæteroquin totum puerperium ægra feliciſſime abſolvit, & vires conſervavit.

Finito puerperio de ventris mole cogitatum eſt, & quoniam ex fluctuatione manifeſte patuit aquas latere, data ſunt omnis generis remedia purgantia, diuretica, &c.

Hæc autem quamvis longo uſu fuerint continuata, malum non levarunt, & ægræ potius fuerunt moleſtæ.

Octodecim ſeptimanas poſt puerperium hæc ægra ad noſtrum noſocomium tranſlata eſt.

Quoniam vero ex narratione intellexi, plurima remedia ſine omni bono effectu fuiſſe aſſumpta, tranſivi ilico ad ventris paracenteſin.

Novemdecim menſuras aquæ ſubtur-

bidæ prodierunt, & ægræ neque ſub ipſa operatione, neque poſtea quid mali accidit.

Altero die urina copioſior ſponte fluxit, & alvus ſine auxilio ſoluta eſt; erat autem tunc coloris plumbei, conſiſtentiæ pultaceæ.

Per integrum octiduum hanc ægram abſque medicamentis tunc reliqui, & ſolummodo cibis levioribus & probe nutrientibus, atque vino auſtriaco montano, ſæpius parca doſi dato, vires conſervavi.

Poſtea tamen, licet ſana videretur, per quatuordecim dies exhibui vinum ſcilliticum N. 52. ut hoc modo omnes viæ excretoriæ liberæ redderentur.

Excedens e noſocomio ſana fuit, & poſt trimeſtre ſpatium vidi eam adeo robuſtam, ut onus centum librarum ex tergo facile portaverit.

Paracenteſin abdominis pluribus in caſibus celebravimus, neque unquam infelices fuimus, etenim omnes ægri inde levati ſunt, & tali modo horum vita noſtra arte prolongata fuit, quæ cœteroquin vi morbi fuiſſet abreviata.

Hæc igitur cura palliativa eſt ſumma neceſſaria, etenim quamvis ſæpiſſime prævideamus, ægros inde non ſanari,

eam tamen debemus administrare, ut miseris saltem aliquod levamen adferamus.

Habuimus multos ægros, qui eandem operationem repetitis vicibus subierunt, & ipsimet, dum se ab aquis suffocandos viderent, rogarunt, ut hac operatione aquæ tollerentur, præsertim quoniam prima peracta operatione observarunt, nullum adesse periculum, & fere nullum a perterebratione oriri dolorem.

Si igitur medicamentis nil efficitur, cur hæc operatio differatur, aut negligatur penitus?

Eos ægros non juvat, qui adeo vitiata habent viscera, ut arte illud vitium tolli nequaquam possit, aut quorum massa humorum est penitus corrupta, aut ubi totus sanguis in serum solvitur.

Dum vero talia vitia non observantur, tunc semper licet multum sperare, quamvis in eodem ægro hæc operatio, quandoque pluries debeat iterari.

Erat femina viginti annorum, quæ pessimo ventris hydrope affecta ad nosocomium venit.

Medicamenta, quæcunque antea exhibita, nil profuerunt, & ventris moles

aucta est, & anxia fiebat respiratio, & erat metus suffocationis.

Hinc perforatione abdominis aquæ subflavæ mensuras 24. eduximus, unde hæc femina ab omni anxietate liberata fuit, & recuperavit majores vires, & bene habuit.

Peracta operatione dedi conservam N. 53.

Verum sexto die venter iterum intumuit, licet copiosissima alvus fluxerit.

Hinc ab hac conserva abstinui, & ejus lòco substitui vinum scilliticum N. 52.

Attamen & sub hujus usu venter intra viginti & unum dies ita increvit, ut prior suffocationis metus redierit.

Hinc denuo ad paracentesin fuit confugiendum.

Prodierunt 16. mensuræ aquæ subrubellæ, & postea ægra iterum maxime levata videbatur.

Remedia alia tum purgantia, tum diuretica &c. tentata, nil effecerunt, & intra octodecim dies idem malum ad priorem gradum ascendit.

Sexies hac ratione in eadem ægra cogebamur paracentesi aquas elicere.

Et post sextam paracentesin venter

tamen denuo intumuit, & multa aqua collecta est.

Verum longe tardius id evenit, neque venter in tantam, ut antea, molem accrevit, & cœperunt medicamenta exhibita meliori cum effectu agere.

Etenim conserva N. 53. quæ alias alvum citra levamen movit, nunc cœpit copiosissimam urinam pellere, & hac ratione tumor, qui post sextam paracentesin sequebatur, multum imminutus fuit.

Verum ægra jam ab conserva N. 53. abhorruit, unde dedi misturam N. 54. cujus efficacia tanta quotidie urinæ copia profluxit, ut brevi tempore tota fere ventris moles sublata esset.

Sub finem exhibui aliquoties drachmam unam pulveris cornachini, unde venter ad molem naturalem reducebatur, & ægra integras vires, formam, & sanitatem intra binas septimanas recuperavit.

Jam octo menses nunc præterierunt, quo ex nosocomio sana abiit, & adhucdum sanam paucis abhinc diebus vidi.

Quandoque hydrops sola vi naturæ curatur, dum medicamentis nil potest præstari.

Puer, 10. annorum, pessimo hydrope

anasarca, & ascite affectus a nullo prorsus medicamento levamen percipit, & malum in dies in pejus vertitur, ita quidem, ut ex omnibus signis jamjam moriturus videretur.

Removi igitur omnia medicamenta, & gratum solummodo julapium cardiacum præscripsi.

Verum miser nil potuit assumere, & pessimis symptomatibus adhuc dirissima totius corporis convulsio supervenit, quam omnes credidimus certo certius interempturam debilem ægrum.

Ast hæc salutem adtulit.

Etenim durante convulsione per anum & urethram copiosissima aqua prodiit, & intra horæ spatium omnis fere tumor disparuit, & dein cessarunt convulsiones, & ægrum blandissimus somnus occupavit.

Erat autem somnus fere octo horarum.

Evigilans vires sat bonas habuit, fuit agilis; eorum autem nequaquam recordabatur, quæ ante somnum acta fuerunt; mox appetiit, & pulsus deprehendebatur liber, & fere naturalis, circa ossa vero, & tendines dolorem conquerebatur.

Conservæ antiscorbuticæ, & alia lenia diuretica reliquum tumorem, qui

circa artuum extrema adhuc aderat, facile dissiparunt.

Quarto die ægri vires jam tantæ fuerunt, ut ultra quatuor horas citra omne incommodum extra lectum sedere, & famuli auxilio ambulare potuerit.

Ad laxas fibras roborandas fasciæ, & lenes frictiones aromaticæ optimo cum successu applicabantur.

Post octodecim dies sanissimus ex nosocomio abiit.

Salutares quamvis hoc in casu fuerint convulsiones, alium tamen casum in nosocomio habui, ubi nil juverunt.

Erat puella quatuor annorum, quæ adeo malo hydrope anasarca decubuit, ut moles cujuslibet pedis & manus molem pedis aut manus robustissimi viri superaverit.

Ventris circumferentia fuit unius & dimidiæ ulnæ, in cavitate abdominis nulla aqua hæsit, tumor fuit mere intercutaneus, pudendorum tumor infantis caput magnitudine adæquavit.

Facies & totum caput enormiter intumuerunt, palpebræ præ tumore fuerunt clausæ, omnis autem tumor erat mollis, albus.

Ano vermes lati prodierunt.

Hinc dedi medicamentum N. 55. &

lene infusum folior. levistici, & florum sambuci.

Copiosissimi vermes inde expellebantur, ut & multum gluten ac serum ex ano fluxit, urina autem fuit stranguriosa, & pauca.

Tumor intercutaneus nequaquam diminutus est; licet per plures dies idem medicamentum fuerit continuatum.

Hinc tentavi remedia diuretica primum leniora, dein paulo acriora.

Verum ab his brevi iterum erat abstinendum, quoniam mox orta est sitis, & urina fuit penitus retenta, & accesserunt convulsiones, quæ miseram puellam multum debilitarunt, & tumor auctus est, & epidermis circa pudenda cœpit rumpi, & acre serum fundere, & morbus multo pejor reddebatur.

Pulsus fuit semper parvus & celer, verum respiratio non erat admodum læsa.

Propter mala hæc symptomata, & ob vires admodum debiles nullum fere remedium huic puellæ per plures dies tunc exhibui, solo victu leniori, & grato julapio cardiaco eam reficere conabar.

Dein autem, viribus aliquantulum

auctis, præscripsi pulverem N. 56. qui bonos ilico effectus præstitit; etenim ejus ope prodiit urina copiosissima, & mox tumor rugosus & mollior factus est.

Quamprimum adverti tumoremi ncipere diminui, statim totum corpus pannis laneis fumo succini multum impraegnatis, involvi, & iisdem pannis singulo trihorio omnia membra, & ventrem leniter fricari jussi.

Ex his tantum sequebatur levamen, ut quinto die pedes jam fere naturales fuerint, & reliquus tumor jam ultra medietatem abierit.

Iisdem igitur continuavi, & spatio quindecim dierum puella ab omni hydrope fuit libera.

Ubi epidermis secessit, & lenis aderat erosio, ibi optimo cum effectu applicatum est unguentum N. 48.

Hydrope jam penitus dispulso præbui per octiduum vinum medicatum martiale, ut visceribus & fibris restitueretur debitum robur.

Nunc jam per integrum fere annum hæc puella sana in nostro nosocomio alitur.

Dum vires constant, & pulsus sat æqualis, & liber est, & respiratio faci-

lis manet, tunc non adeo multum timendum eſt iis, qui anaſarca laborant.

Dum vero reſpiratio fit difficilis, anheloſa, & dum pulſus ſupprimitur, dum noctes fiunt anxiæ, & dum ſubitæ oriuntur vigiliæ, & ſitis ſupinus impoſſibilis redditur, certa mors plerumque prædicenda eſt.

In hydrope thoracis incipiente medicamenta juvant; verum talis difficulter cognoſcitur.

In hydrope thoracis, inveterato medicamenta raro juvant, & plerumque pertinaciori uſu nocent.

Largi fonticuli, ſetacea in cavum penetrantia levant, ſubinde juvant.

Paracenteſis in hoc morbo ambigua eſt & admodum incerta.

Quandoque in ipſis pulmonibus mucus, aut gluten colligitur, quod eadem fere ſymptomata producit, quæ fiunt ab aqua in pectoris cavum effuſa; ſimiles tamen paulo pleniore pectore tuſſiunt, & tuſſi auditur ſtrepitus glutinis, in pulmone latentis; & ſi ſputa prodeunt, ea levamen adferunt.

Unde frequenter accidit, ut tales ægri, licet hydrope anaſarca, aut aſcite ſimul laborent, perfecte ſanentur.

Medicamenta, quæ ſputa ſolvunt,

& promovent, & tumores aquosos discutiunt, hoc in casu optima sunt; hinc vino scillitico N. 52. aut vino N. 69. aut clareto N. 13. aut conserva N. 53. multos restitui.

Erat in nosocomio femina, quæ anasarca & ascite simul laboravit.

Exhibebantur longo tempore optima diversi generis remedia citra ullum levamen; imo ægra semper pejus habuit, & tandem sitim conquesta est, & afficiebatur febre & vera peripneumonia.

Hinc Dominus COLLIN ter venam secuit, & dedit decoctum emolliens N. 4.

Quod non solum peripneumoniam brevi solvit, sputa copiosa eduxit, verum & tantam urinæ copiam promovit, ut & anasarca, & ascite, intra duodecim dies penitus evanuerint.

Hinc leviora sæpe juvant, ubi fortia non prosunt.

Dum vidi in morbis chronicis medicamenta secundum rationem adhibita debitos effectus non præstare, tunc sæpius ægros sine medicamentis reliqui, aut tantum talia præbui, quæ vires conservarent, & symptomatibus maxime urgentibus obviam irent.

Evenit tunc sæpissime, ut natura

ſponte cœperit bene operari, & monſtrare viam, qua morbus remediis ſimpliciſſimis citra difficultatem potuit curari.



Tympanitis.

Sæpius vidi poſt validam diarrhæam tympanitidem ſecutam eſſe, etenim totus venter intumuit, & percuſſus dedit tympani ſonitum.

Flatu & ructu frequenter exploſo ægri magnum levamen perceperunt.

Hi vero ſi intercluſi ſunt, tunc oriebantur magnæ anxietates, venter ad rupturam tenſus eſt, brevis & laborioſa fuit reſpiratio, & pulſus debilis, inæqualis, celer, alvus & urina retinebantur, noctes fuerunt vigiles, aut admodum turbatæ, anxiæ.

Dum tales ægri ſitim ingentem habuerunt, & linguam ſiccam; dum genæ rubuerunt, & a leviſſimo adtactu in ventre dolor valde acutus excitatus eſt, & ſi ſimul pulſus fuit parvus, inæqualis, & intermittens, & vires exiguæ, malum erat: etenim intra unum alterumve diem hi ægri interierunt.

Post mortem fere omnia intestina gangrænosa reperta sunt.

Perversa diarrhæam curandi, & sopiendi methodus frequens hujus mali causa fuit.

Quandoque vero idem ab acri intestina nuda arrodente & inflammante productum est.

Si sitis abfuit, si ventrem citra dolorem licuit tangere, & comprimere, si vires non fuerunt nimium dejectæ, optima curationis spes supererat.

Motus corporis hic fuit summo necessarius, si vires & ventris moles eum admisere.

Frictiones, quæ pannis laneis fumo myrrhæ, succini crudi, & croci austriaci &c. impregnatis fiebant, ut & fomenta sicca, calida, aromatica toto ventri continuo applicata, expellendo flatus morbum sæpe cito allevarunt.

Si alvus fuit nimis pertinaciter retenta, tunc enemata ex solo saturato ruthæ infuso optime conduxerunt.

Præterea his ægris utilissima fuit mistura N. 57.

Hac sola methodo per plures dies continuata, multi feliciter restituti fuerunt.

Si vagi dolores colici, & spasmi, a

ſolo inordinato ſpirituum nerveorum motu oriundi, ſimul obſerventur, tunc miſturæ N. 57. adduntur guttæ XX. vel XXX. laudani liquidi SYDENHAMI, unde mox dolores ſedantur, ſolvuntur ſpaſmi, flatibus aperitur via, & venter detumeſcit.

Poſt partum ſi lochia nimis copioſe fluxerunt, tunc ſæpe membra intumuerunt, atque venter flatu diſtentus & in magnum tumorem elevatus eſt.

Frictionibus aromaticis, & medicamento N. 58. ſimiles ægræ plerumque ſanatæ ſunt.

Acidum in primis viis oberrans ſubinde inteſtina debilitat, flatus generat, & producit tympanitidis ſpeciem.

Pulvis N. 59. hoc in caſu optime diſcutit flatus, & in tumorem tollit.

Dein vero neceſſe eſt, ut ad robur fibris laxis reſtituendum exhibeatur medicamentum N. 58. vel N. 60.

A fluxu menſtruo impedito ſæpius quoque vidi, ventrem flatulento tumore attolli, ortos eſſe dolores acutos, ſpaſmos, & vomitus, nequaquam tamen nimia ſanguinis copia hæc ſymptomata produxit.

Miſtura N. 61. & enemata emollientia plerumque effecerunt, ut menſes

prodierint, & venter iterum, cum levamine omnium ſymptomatum, detumuerit.

Binas ægras valde plethoricas juvit unica larga venæ ſectio in brachio inſtituta.

Hæ autem pulſum habuerunt durum, inæqualem, remittentem, caput vehementer doluit, & reſpiratio fuit anguſta, ſuppreſſa.

Unicam habui feminam, quæ a ſuppreſſis menſibus continuum ardorem in hypogaſtrio conqueſta eſt, & pulſus fuit durus, celer, & ſitis magna, & venter in magnam molem reſonantem accrevit.

Inflammationis ſigna aderant; ideo aliquoties venam ſecui, & exhibui decocta antiphlogiſtica, reſolventia, emollientia.

Verum ardor non remiſit, & ægra cœpit contabeſcere.

Circa veſperas omnia exacerbata ſunt, nox fuit inquieta, & ortus eſt ſudor copioſus, tenax, & defatigans.

Decoctis emollientibus tunc addidi magnam copiam lactis recentis.

Poſt binas ſeptimanas ardor remiſit, utero prodiit pus bonum, copioſum, & venter fiebat mollior.

Decocta emollientia, quæ prius dedi, adhucdum continuavi.

Præterea autem præscripsi pilulas N. 62. & feci desuper hauriri infusum agrimoniæ cum tertia parte lactis.

Magna puris boni copia quotidie exstillavit, venter detumuit, & febris vespertina multum remisit, & noctes fuerunt quietæ sine opio.

Tandem pulsus fuit fere naturalis, siluit febris vespertina, cessavit sudor nocturnus, increverunt vires & appetitus.

Hinc pilularum loco tunc exhibui ter quotidie guttas sex opobalsami.

Mox flatus sursum deorsumque explosi sunt, puris quantitas diminuta fuit, & sensim integra valetudo rediit.

Habui juvenem 18. annorum, cujus venter plenus erat scirrhosis indurationibus, quæ originem duxerunt a febre tertiana, qua hicce æger binis abhinc annis in ungaria decubuit.

Fugata febre ultra sesqui annum labores duros, non obstantibus his tumoribus, facile & citra molestiam peregit, dein vero tensiones in ventre advertit, & alvus, quæ alias quotidie prodiit, segnis facta est, & tantum omni tertio

quartove die inter magna molimina ſolvebatur.

Poſt unam alteramve ſeptimanam venter intumuit; ſcirrhi in abdomine latitantes cœperunt acuto dolore affici, orta eſt ſimul febris continua, admodum vehemens, quæ circa veſperas, prægreſſa horripilatione, quotidie exacerbata fuit.

Venter percuſſus tympani ſonitum reddidit. Ob pulſum elevatum, durum, plenum, repetitis venæ ſectionibus, debebat ſanguis emitti, alvus enematibus emollientibus & oleoſis elicita eſt, toti ventri applicata ſunt cataſplaſmata emollientiſſima, & quoniam inflammatio ventris manifeſtiſſimis ſignis ſeſe prodidit, data ſunt decocta emollientia, reſolventia.

Vomitus aderant ſimul admodum frequentes, & defatigantes, unde interdum paregoricis utendum fuit.

His medicamentis per tres integros dies ſine ullo fere levamine continuavi.

Quarto die cœpit umbilicus rubere, inflammari, protuberare, & valide dolere; nihilominus ſedulo continuavi cataplaſmata, & in uſu priorum medicamentorum perexi.

Quinto

Quinto die umbilicus pugnum virilem magnitudine ſuperavit, & leviter premendo manifeſta fluctuatio percepta eſt.

Sexto die ſua ſponte rumpebatur umbilicus, & effluxit copioſum pus, cum multo flatu & ſtrepitu.

Paulo poſt concidit ventris moles, & æger paſſus eſt frequentes leipothymias.

Tactu deprehendebantur omnes ventris indurationes minores, molles.

Quoniam autem ſcirrhi ſuppuratione conſumendi videbantur, judicavi neceſſario internis externiſque remediis emollientibus eſſe continuandum.

Magna quotidie puris copia partim ſponte per umbilicum prodiit, partim molli manu premendo expulſa fuit.

Intra paucos dies omnis fere febris evanuit, & exacerbationes veſpertinæ fuerunt longe mitiores, appetitus cœpit redire, ſitis penitus deſiit, & pulſus fuit liberior; verum ſimul lenis diarrhæa ſequebatur.

Decimo octavo die æger extra lectum per plures horas ſe potuit ſuſtinere, pus fere nullum amplius viſum eſt, umbilicus ſenſim rediit ad molem naturalem, & ejus apertura cœpit minor fieri, &

coire ; ſcirrhi erant minores, molles ; & ventris tumor valde exiguus.

Vigeſimo primo die inveniebatur umbilicus penitus clauſus, æger bene habuit, & tota die extra lectum ambulavit.

Cum tamen adhuc reliquiæ quædam ex ventris indurationibus ſupererant, juſſi, ut decoctis ſolventibus ex rad. tarax., gram., ſcorzon., tragapogon., &c. aliquandiu uteretur, & præterea præſcripſi pilulas ex ſapone veneto, gum. ammon. terra foliat. tart. &c. & commendavi diætam humectantem, lacteam.

Vigeſimo quinto die æger denuo pejus habet, conqueritur capitis & ſpinæ dorſi dolorem, ſitit, nec amplius extra lectum eſſe poteſt.

Tandem ingens dolor lumbos, & inguina occupat, intumet hypogaſtrium, & magno cum dolore retinetur urina, æger eſt valde inquietus, anxius.

Cataplaſmata tunc toti ventri, & hypogaſtrio applicata, enemata oleoſa ano injecta poſt plures horas tandem id effecerunt, ut urina copioſa, attamen tenuiſſima, prodierit ; unde hypogaſtrium pauliſper detumuit.

Verum remanſit ingratiſſimus min-

gendi tenesmus, & dolor tensivus & dilacerans lumbos & inguina pertinaciter tenuit.

Hausit æger copiosum & meracum decoctum radicis althææ, & foti sunt lumbi, & totum hypogastrium mollissimis remediis.

Altero die fluxit urina crassa, quæ post pauca minuta adeo copiosum & puriforme sedimentum dimisit, ut medietas vitri, in quo urina asservabatur, pure plena esset visa.

Eodem igitur decocto radicis althææ, addita sub finem coctionis pauca quantitate radicis fœniculi & glycyrrhizæ rasæ, deinceps æger uti continuavit.

Febris autem & dolores penitus cessarunt, increverunt vires, nec ulli tenesmi observati sunt; urinæ autem erant variæ, quandoque enim deprehendebantur tenues, aquosæ, acrem odorem spargentes, quandoque vero erant crassæ, & multum pus ad fundum deposuerunt.

Post quatuordecim dies æger se in balnea badensia contulit, & inde redux omnino sanus fuit, & nil duri in ventre amplius inventum est, & vires fuerunt iterum sufficientes ad duros labores subeundos.

Jussi tamen, æger aliquamdiu aquas selteranas biberet, ut hac ratione omnes viæ excretoriæ liberæ redderentur.

Juvenis 12. annorum, eodem fere morbo laboravit, & postquam venter multum tumuit, ruptus quoque est umbilicus.

Prodiit tunc copiosa materies purulenta, & ventris moles concidit; verum æger nullum levamen percepit.

Altero die pus fœtuit, & mistum erat materie fœculenta; & alvo quoque similis materies purulenta cœpit comparere.

Pulsum ægri debilem, inæqualem, & quandoque intermittentem deprehendi, sitis fuit magna, vires exiguæ.

Tertio die ea, quæ ore assumebantur, vix mutata per umbilicum iterum prodierunt, fæces, ano expulsæ, fuerunt nigræ, fœtidæ, & involuntariæ; frequenter animo linquebatur æger, venter subito iterum intumuit, & eodem die mors supervenit.

Omentum partim scirrhosum, partim suppuratione consumptum reperiebatur; intestina ubique cum peritonæo cohæserunt, & a materia purulenta erant arrosa, & in regione umbilicali penitus pervorata.

Intestinum cæcum erat in magnum volumen distentum, & gangrænosum.

Æger, dum ad nosocomium advenit, vires habuit admodum debiles, & vix amplius loqui potuit, hinc morbi prægressi historiam ex eo colligere non licuit.

A nimia ventriculi & intestinorum laxitate haud raro tympanitidem observavi.

Sub initium audiuntur continui borborygmi, & venter sensim distenditur, respiratio fit solito difficilior, & accedit cordis palpitatio, præcordiorum angustia, oculorum caligo, capitis & objectorum vertiginosa rotatio.

Quidam ex his ægris alvum frequenter dejecerunt paucam, crudam, alimentis quandoque commistam.

Et his flatus sine strepitu prodiere, magnum autem fœtorem sparserunt, & circa anum excitarunt ardorem.

Quidam vero habuerunt alvum admodum segnem, & tantum tertio quartove die scybala dura, ex fusco nigra, magna cum molestia expulsa sunt.

Neque tunc flatus libere penetrarunt, etenim plerumque dum pervenere ad sinistram iliacam regionem, ortus est dolor acute punctorius, & mox flatus

cum strepitu versus hypochondria recesserunt, & quandoque copiosi ructus explosi sunt.

Intestinum colon, ea parte qua tendit in rectum, fere semper tangebatur nodosum, inæquale, coarctatum; licet reliqua intestina fuerint valde ampla.

Curatio sat feliciter sequenti methodo dirigebatur.

Ubi alvus frequens & cruda fuit, dedi pulverem N. 63. eundemque omni secundo vel tertio die toties iteravi, donec intestina ab acri & incocto libera viderentur, præterea jussi, sæpius per diem ægri aliquot uncias infusi florum chamomilæ, & seminum contusorum fœniculi biberent.

Primis viis sufficienter purgatis, exhibui vinum medicatum N. 58. & suasi, ut ægri, quantum possibile esset, ambularent, & pannis laneis, fumo aromatico imbutis, probe & diu fricarent ventrem.

Intra paucos dies alvus comparuit magis cocta, & minus frequens, borborygmi fuerunt longe pauciores, venter minor, vires majores.

Qua de causa eodem remedio per plures septimanas continuatum est, & ægri integram sanitatem obtinuere.

In iis casibus, ubi alvus erat pertinaciter clausa, pulvis N. 63. nullum effectum præstitit, & magnas anxietates & tormina produxit.

His melius conducebat mistura N. 9.

Verum in ejus usu non erat diu persistendum, mox enim licuit ad vinum N. 58. transire.

Sub usu hujus vini quotidie injectum est enema ex saturato infuso florum chamomil. & ex unciis quatuor olei lini.

Hac ratione flatibus pandebatur via, & impediebatur simul, ne dura in intestino recto scybala colligerentur.

Postquam per decem aut duodecim dies hæc sedulo sunt applicata, tunc sine enemate cœpit alvus figurata prodire, & eruperunt simul flatus, & ventris moles imminuta est.

Neque tunc aliis amplius medicamentis opus fuit, etenim solo hoc vino medicato, motu corporis, & frictione venter ad statum naturalem redactus est, & intestina debitum officium iterum rite exsequebantur.

A cibis autem duris & flatulentis summopere erat cavendum.

Multo pejor oritur tympanitis, quando pars tantum cujusdam intestini laxa-

tur, & reliquum arcte constringitur.

Post diuturnos borborygmos exsurgit subinde in quadam ventris plaga tumor oblongus, inæqualis, farciminosus, quandoque rotundus, globosus.

Tactu percipitur magna tensio, & elasticitas, majori pressione & frictione tandem tumor fit mollior, minor, gignuntur borborygmi, qui vel superiora, vel inferiora petunt, & hac ratione ægris magnum levamen adfertur.

Post aliquot dies tumor in eodem loco iterum apparet, & fit ægro molestus, & nec frictioni nec pressioni fortiori absque dolore cedit; enemata tunc multum juvant, & medicamenta, quæ flatus discutiunt, & alvum apertam tenent.

Nihilominus malum sensim augetur, & alvus fit admodum difficilis, borborygmi & flatus retenti ægros angunt, tenditur totus venter, respiratio inhibetur, cor palpitat.

Flatibus si via panditur, tunc hæc symptomata levantur; tumor vero totus non disparet, & post unum alterumve diem prius malum redit.

Tumor tandem immaniter augetur, ægri contabescunt, & morbus fit lethalis.

Roborantia & adſtringentia remedia his in caſibus nocent, licet ratione partis laxatæ indicarentur; alvus etenim eorum uſu retinetur, venter inflatur, & præ dolore adtactum non fert, & ſenſim febris excitatur, & quandoque oriuntur inflammationes.

Pulvis N. 59. ſimilibus ægris plurimum profuit, & ejuſmodi remediis vita potuit multum prolongari.

Verum tamen omnibus his ægris longitate, & pertinacia morbi alvus cœpit retineri, & tandem penitus intercludi, & tunc peſſimus ſequebatur ileus, & demum inter millenas miſerias mors exoptata.

In inteſtino colo plerumque ſimilia vitia reperiuntur.

Sæpe hoc inteſtinum in pluribus locis in enormes ſaccos diſtentum eſt, in aliis vero locis quaſi filo ligatum, & arctiſſime contractum deprehenditur.

Simili tympanitidi ſubinde ſupervenit hydrops pectoris, ſubinde hydrops anaſarca.

Tympanitidem uteri binis in feminis obſervavi.

A pluribus annis ambæ peſſimo fluore albo laborarunt, & materies effluens fuit penitus ichoroſa, putridiſſima, &

adeo acris, ut totam vaginam & pudendorum labia corroserit.

Urina semper erat stranguriosa.

Multis tandem & variis medicamentis, quæ partim a vetulis, & agyrtis suadebantur, partim vero a medicis peritissimis præscripta sunt, id effectum est, ut in una ex his feminis fluor cessaverit, & ulcera vaginæ & vulvæ coierint; in altera vero fluor reddebatur minus frequens & minus molestus.

Ambæ tamen hæ feminæ continuum ardorem, & dolorem rodentem, pungentem in hypogastrio adverterunt.

Variis intervallis conquestæ sunt magnas anxietates, tenesmos uterinos, & dolores tendentes versus inguina & uteri vaginam; post has anxietates & tenesmos ortum fuit leve animi deliquium, & dein plures fœtidissimi flatus magno cum strepitu & summa cum violentia per anteriora ex utero explodebantur, & mox sequebatur materies saniosa, flocculenta, ignis instar urens, corrodens.

Brevi autem hæc materies iterum cessavit fluere.

Post unum, binos vel ternos dies (incerta enim erant intervalla) eadem denuo symptomata redierunt, erupere

iterum flatus, & materies pessime fœtens vi quasi propulsa est.

Dum hæc per plures septimanas observata sunt, tunc cœpit tumor in hypogastrio comparere, qui valde durus, & subrotundus fuit.

Hic autem tumor post quamlibet flatuum & materiei per anteriora explosionem minor videbatur, mollior, & erat valde elasticus.

Moles hujus tumoris sensim aucta est.

Verum, quo major fiebat tumor, eo minus frequens fuit flatuum explosio; imo sensim hæc penitus cessavit; & tunc tumor longe citius & manifestius increvit.

Ambæ hæ ægræ continua febricula affectæ erant, circa vesperas autem habuerunt magnas & frequentes horripilationes, & secutus est ingens calor & febris valida cum siti non exstinguenda. Et inde somnus fuit inquietus, & supervenerunt deliria, & tendinum subsultus.

Symptomata in binis his ægris erant prorsus simillima.

Remedia plurima, quamvis summa cum cura fuissent adhibita, nil omnino profuerunt; & omnia quotidie pejora facta sunt, & tandem post diuturnam

corporis extenuationem anima efflabatur.

Alvus erat toto morbi tempore libera, urina vero fuit semper tenesmoidea, stranguriosa, fœtida.

In prima femina, cujus fluor ex usu medicamentorum penitus cessavit, sectione anatomica inventus est uterus durus, elasticus, & magnitudine caput viri adæquans.

Postquam chirurgus scalpello in cavum penetravit, aër summa cum violentia prorupit, & tantum excitavit fœtorem, ut unus ex adstantibus mo in animi deliquium inciderit, & æruginosa vomuerit.

Ulteriori sectione reperiebatur materies saniosa, fœtidissima in cavo uteri.

Uteri autem substantia erat tenuis, membranacea, lamellæ internæ erant omnes exulceratæ, sphacelo corruptæ.

Os uteri fuit penitus induratum, concretum, ea autem ex parte, qua cavum spectabat, corrosum.

In vagina deprehensæ sunt variæ excrescentiæ fungosæ, & innumeræ cicatrices.

In altero cadavere inventus est uterus inflatus, elasticus, mole autem multo minor, quam in cadavere priori, cœteroquin in ejus cavo fuit similis mate-

ries saniosa, & copiosissimus aër, valde foetens.

Cavum uteri erat quoque penitus exulceratum, corrosum, foeda quoque ulcera in vagina reperta sunt.

Os uteri hoc in cadavere non erat concretum, verum obstruebatur sanguine grumoso, polyposo; præterea a sanie erat valde exesum.

Vagina tota, & vulvæ labia erant undequaque corrupta, exulcerata.

In ambabus his feminis morbus a lue venerea originem duxit.



Fluor albus.

MULTÆ feminæ ad nosocomium venerunt, quæ faciem habebant pallidam, & corpus totum fuit inflatum tumore albicante.

Difficulter simul respirarunt, a minimo motu senserunt cordis palpitationes, appetitus erat penitus deletus, & ingesta pondus & præcordiorum anxietates, ac nauseas & vomitus excitarunt.

Pulsus fuit parvus, inæqualis, celer.

Urina prodiit tenuis, subviridis, cruda, flocculenta, & crassam nubeculam,

aut mucosum sedimentum ad fundum deposuit; alvus autem erat tarda, dura, referens scybala.

Quibusdam ex his continuo exstillavit ex uteri vagina humor lentus, tenax, albicans, inodorus, nequaquam vero acer.

Quædam vero talem humorem tantum eo tempore adverterunt, ubi sanguis menstruus debuisset prodire.

Fluxus tunc sat copiosus per quinque, sex, septem, octo, novem dies, & quandoque diutius duravit, postea vero iterum desiit.

Sanguis autem nullus prodiit; aut striæ tantum sanguineæ muco mistæ comparuerunt.

His in casibus erat lentum & mucosum incidendum & evacuandum; quapropter exhibui conservam N. 29. aut si hæc sufficienter alvum vel urinam non movit, dedi conservam N. 53.

In usu similium medicamentorum pro ratione symptomatum & virium aliquamdiu perseveravi.

Verum quamprimum vidi tumorem esse minorem, molliorem, jussi ut mane & vesperi totum corpus pannis laneis, fumo succini impraegnatis, probe fricaretur.

Intra breve tempus magnam tunc in melius mutationem adverti; etenim pulsus fuit liberior, rediit appetitus, & tumor est multum imminutus.

Morbo jam eousque mutato, exhibui vinum N. 58., & suasi, ægræ corpus leni ambulatione frequenter exercerent.

Hac methodo multas ægras spatio sex, septemve septimanarum restitui; & fluor albus penitus cessavit, & tempore menstruo sanguis sanus prodiit.

Aliæ feminæ habuerunt fluorem album, absque eo, quod reliquo corpore tumuerint.

Facies tamen semper fuit pallida; cœteroquin autem nil conquerebantur.

His exhibui misturam N. 73.

Sub initium fluor inde augebatur, & major materiei albæ, glutinosæ copia effluxit. Posthac vero materies longe tenuior, & parcior prodiit, & sola hac mistura aliquamdiu continuata fluor quandoque penitus sistebatur.

Quandoque autem integre sisti hac mistura non potuit, licet multum fuerit imminutus, tunc autem pulvis N. 63. aliquoties alterno die datus, morbo finem imposuit.

Quædam fluore albo laborantes cor-

pore erant extenuatæ, & tussicula sicca simul vexabantur.

Decocta emollientia, replentia, & mistura N. 73. his optime conduxerunt.

Hac ratione & pectori consulebatur, & illud quod in vasis uterinis stagnavit, solutum est, & benigno fluore evacuatum; neque inde vires debilitatæ sunt.

Contigit tunc sæpe, ut tussi sputa glutinosa cum magno levamine prodierint, & fluxus albus sensim integre desierit (suppono autem hic semper fluorem album simplicem, mitem, nulla acrimonia venerea &c. mistum.)

Etenim quæ fluore venereo affectæ erant, & simul in pulmone labem habuerunt, eæ semper valde difficulter curatæ sunt, aut sensim tabe obierunt.

Si vero decoctis emollientibus pectus humectatum fuit, & glutinosum, quod in pulmonibus hæsit, sputis ita eductum, ut respiratio fuerit libera; & si tunc fluor albus sine ulla erosione adhuc continuavit, poterat & his aliquoties exhiberi pulvis N. 63.

Si autem ægræ hoc pulvere N. 63. debilitatæ sunt, & si fluxus non siluit, tunc optato cum successu datum est vinum N. 58.

Solo hoc vino reliquiæ fluoris albi

penitus sublatæ sunt, & ægris rediit robur, color, & integra sanitas.

Si fluor albus (quamvis benignus) sibi nimis diu relinquatur, aut negligatur, tunc tota sanguinis massa destruitur, & materies ex utero effluens incipit fœtere, & partes vicinas arrodere.

Circa vesperas opprimitur pectus, fauces fiunt siccæ, vox rauca, sitis magna, pulsus celer; unde noctes admodum inquietæ.

Decoctum radicis althææ, scorzoneræ, bardanæ, lapathi acuti, quod sero lactis fiebat, magna copia haustum his in circumstantiis plurimum juvit.

Aquæ selteranæ, quibus addebatur tertia pars lactis asinini, vel caprini, quoque admodum proficuæ fuerunt.

Diæta probe nutriens, demulcens, humectans simul requirebatur.

Oryza lacti incocta, cremor avenæ, hordei mundati &c. saturatum panis decoctum hic erant optima.

Externe autem ulterior partium corrosio facillime evitabatur, dum sæpius per diem materies acris & in plicis stagnans anatica parte lactis recentis & aquæ rosarum abluta fuit, & dum plagæ arrosæ, excoriatæ, aut exulceratæ post ablutionem unguento N. 48. inunctæ sunt.

Si his aut similibus remediis secundum artem & rationem exhibitis mala hæc symptomata non cesserunt, tunc omnia sensim in pejus ivere, & febre lenta tales ægræ consumptæ sunt.

Feminas habui, quibus verum pus ex utero effluxit, & aderant signa abscessuum in utero latentium.

Febrem si magnam & continuam simul habuerunt, tunc eam decoctis emollientibus & emulsis refrigerantibus antea diminuere, & mitigare tentavi.

Dein exhibui pilulas N. 62. & qualibet vice desuper hauriendas dedi uncias sex infusi agrimoniæ; pro potu ordinario datum est serum lactis, vel lac tripla aquæ copia dilutum.

Hac ratione fere omnes restitutæ sunt.

Binæ tantum cœperunt tumere, & tabe obierunt.

In omni fluxu uterino observavi, mala semper sequi symptomata, si remediis roborantibus & adstringentibus fluxus retineatur, antequam materies effluens fuisset satis attenuata, & uteri vasa a mucosis & crassis libera.

Hæc si remediis sufficienter præstari non potuerunt, balnea in usum vocabantur, quæ emolliunt, solvunt, dis-

cutiunt ; balnea Badensia, & Rodaunensia quandoque mira præstant.

Feminæ, si non integre curentur a fluore albo, antequam nubant, admodum proclives sunt ad abortiendum.

Etenim secundo tertiove graviditatis mense sentiunt materiem ex utero prodire, quæ loturæ carnis similis est; paulo post prodit sanguis crassior, dein excernuntur grumi, tandem post multos dolores & tenesmos sequitur abortus.

Si tunc acre, in uteri vasis stagnans, aptis medicamentis aut balneis non tollitur, & si femina iterum concipit, manet eadem abortiendi dispositio.

Motus violentior, ira, & nimia corporis agitatio plerumque causæ sunt, abortum excitantes.

Potest tamen fœtus & in similibus casibus quandoque ad maturitatem deduci; si omnes causæ irritantes, quantum possibile est, evitentur, si alvus servetur libera, quod commode fieri potest, si omni vespera ex pulvere N. 64. drachma dimidia vel integra in leni emulso assumatur.

Et si nimia uteri irritatio advertitur, si oriuntur spasmi, aut tenesmi, tunc ilico paregoricis, opiatis, & quandoque leniter adstringentibus succurrendum est.

Tales autem feminæ pariunt plerumque infantes craſſos, pingues, robuſtos, & hi tales manent per plures menſes, poſtea vero emaciantur, laſſi fiunt, & membra pendula gerunt, tandem ſubſequitur peſſima rachitis, quæ raro hucuſque ſanari potuit.



Morbus venereus.

INFELICES proles, quæ a parente vel parentibus hoc malo affectis generantur.

Et licet malum hoc remediis ſublatum ſubinde videatur, aliquid tamen ſemper in ſanguine, aut liquido, quod ſanguine longe ſubtilius eſt, remanet, quod transfertur in filios, & nepotes, vel in ſeram quandoque poſteritatem.

Hinc poſteri habent, quod avorum, protavorumve &c. delicta quandoque luant.

Morbus autem venereus duplex eſt; unus, qui oritur a nimium frequenti actu & ſeminis deperditione, alter vero, qui ab acri contagioſo originem habet.

Ambo ſi jungantur, tunc morbus fit fere lethalis.

Mala, a nimio coitu aut alia nimium frequenti ſeminis dejectione orta, innumera fere ſunt.

Phthiſis aut conſumptio inde frequenter manat.

Sub initium hi ægri circa os ſterni ſentiunt tenſiones, & continuum ardorem; pectus præterea ſiccum eſt, & ſubnaſcitur ſicca tuſſitatio, oculi fiunt concavi, album oculorum flavum, aut ſubfuſcum apparet, ventriculus & hypochondria tenduntur, inflantur, oriuntur ructus, flatus, & ſpaſmi, & tandem naturæ ſtimulus incipit languere.

Hoc in ſtatu quidam ſeipſos carpunt, & delictorum memores vitam nimis ſeveram ſubito ambiunt, fugiunt omne conſortium humanum, ſunt triſtes, fiunt hypochondriaci, melancholici, tandem adeo religioſi, ut nec ſibi nec proximo utiles ſint.

Quidam vero, libidine nimium abſorpti, utuntur cibo, potu, & remediis excitantibus, quibus quidem ſubinde natura ad operandum erigitur, verum vires adeo debilitantur, ut ægri in phthiſin, aut tabem dorſalem, aut in ſudorem colliquantem incidant, & pe-

Sæpissime ab his pessima haimoptoë producitur.

Caro depascitur, capilli defluunt, membrum virile penitus evanescit.

Subinde vero post nimios coitus oritur continuus fluxus humoris albicantis per urethram, qui quidem nullum excitat dolorem, verum visum hebetat, producit vertigines, memoriam inanem reddit, inducit membrorum tremorem, & genuum titubationem, & omnes tandem vires consumit, atque ipsa ossa incipiunt dolore excruciari, nec adtactum patiuntur; curatio tunc est admodum difficilis, lenta, anceps.

In principio juvat abstinentia & diæta humectans, ac probe nutriens.

Hinc jusculis meracis, sed facillimæ digestionis, corpus replendum est. Oryza jusculis vel lacti incocta, cremor avenæ, hordei mundi &c. lac recens summam his in casibus utilitatem habent.

Verum in exhibendo id est observandum, quod hæc frequenter, & parca semper dosi debeant præberi, ne ventriculus obruatur, & concoctionis vires adeo occupentur, ut subigendo non sufficiant.

Si hæc (ut quandoque in malo multum progresso contingit) adhuc nimis

fortia ſint, & ventriculus talia non ferat citra magnas anxietates, tunc lac nutricis in uſum debet vocari; quo ſæpe ſolo per plures ſeptimanas aſſumpto a peſſima tabe tales ægri reſtituuntur.

Subinde quidem ventriculus ingeſta citra modeſtiam recipit, ea concoquit; & vaſa chylo denuo replentur, verum vires tunc deficiunt, quæ hunc in circulum agerent, & in bonum ſanguinem converterent.

Hinc debilitatis fibris ſtimulus, & robur addendum eſt.

Vinum medicatum N. 58. hoc in ſtatu mira præſtat, nec relinqui debet ilico, dum id ægri in principio iterum evomunt.

Quamprimum æger tantas habuit vires, ut ſe ſuſtinere, & pauliſper deambulare potuerit, tunc juvit multum, ſi in aërem ruſticanum, purum, montanum ſeſe contulit.

Hoc modo citiſſime tales ægri reficiebantur, verum in regimine victus, & naturæ adtendendum erat ſummopere, ne error committeretur.

Tabes dorſales, peſſimas & diuturnas leucorrhæas, atque conſumptiones, nocturno ſudore admodum pertinaces ac

periculosas, hac methodo sæpius feliciter debellavi.

Si vero vires jam adeo erant exhaustæ, ut ventriculus & intestina nec levissima juscula, nec lac maternum potuerint retinere, & pro parte saltem subigere, tunc nil omnino a remediis sperandum fuit, pauci humores, qui adhuc in corpore erant, corrupti sunt, in cute diversæ pustulæ, & maculæ comparuerunt, aderat continua febricula, & sudor fœtidus pruritum per totam corporis superficiem excitavit, urina pauca, fœtida, ardens prodiit, & in superficie crustam salinam, multis coloribus variegatam, gessit, alvus erat frequens, liquida, cruda; etenim quæ ore ingerebantur, mox ano iterum prodierunt; hoc modo tales miseri inter summas anxietates extenuati interierunt.

Si jam in maxima hac virium prostratione acre venereum, contagiosum, junctum sit, annon pejora adhuc erunt symptomata? annon mors celerior?

A materia autem acri, venerea, contagiosa, varia mala variis in locis generantur.

Gonorrhæa sæpissime observatur, eaque subinde admodum maligna.

Pauca puris copia si exstillat, & si urina

urina absque magno ardore profluit, tunc cura plerumque facilis est, & brevis.

Unico dato purgante, & solo decocto radicis bardanæ aliquandiu largiter potato, tale malum fere semper sublatum fuit.

Quandoque autem magna copia puris subviridis, & corrupti prodit, membrum incurvatum acute dolet, & urina fit stranguriosa, pulsus celer, durus, & sitis magna.

Hinc venæ sectione opus est, remediis diluentibus, ac refrigerantibus, ut vis febris, & inflammationis progressus inhibeatur.

Mitigata tunc febre datæ sunt pilulæ N. 65. & copiosum decoctum radicum graminis, althææ, bardanæ &c.

Pilulæ si alvum nimis copiosam eduxerunt, tunc earum usus per unum alterumve diem interruptus est; decoctum vero continuabatur.

Postquam usu harum pilularum fluxus virulentus multum erat emendatus, tunc nullum fere purgans deinceps requirebatur; verum solis decoctis leniter diureticis reliquum malum integre cessit.

Quandoque autem remedia purgantia

nequaquam levamen adtulerunt, & ægri ſunt debilitati; unde his in caſibus præter copioſiſſima decocta dedi miſturam N. 66.

His ſæpiſſime gonorrhæa virulenta cito curata fuit.

Subinde tamen fluxus nequaquam poterat ſupprimi, licet omnis urinæ ardor ceſſaverit, & materies benigna & tenuis comparuerit.

Accidit tunc aliquoties, ut poſt gonorrhæam virulentam benigna ob nimiam partium laxitatem ſupervenerit.

Et hanc vinum N. 58. ſanavit.

Quandoque vero in urethra manſerunt, ulcera admodum rebellia, quæ copioſum & lenteſcens ſerum continuo fundebant.

Eſſentiæ, tincturæ, & remedia balſamica ac adſtringentia hic raro profuerunt, his enim alvus ſæpe retinebatur, & novus iterum in mingendo ardor excitatus eſt.

Remedium vero N. 67. & decoctum radicis bardanæ omne acre, in maſſa ſanguinea latitans, emendarunt, aut quacunque data via expulerunt, atque conſolidarunt ulceran.

Injectiones adſtringentes, conſolidantes, & præſertim ſaturninæ ſumma

cum cautela evitanda ſunt, hæ enim peſſima ſymptomata producunt.

Etenim teſticuli inde ſæpius intument, fiunt ſcirrhoſi; oriuntur bubones inguinales.

Vidi a gonorrhæa, hac ratione ſuppreſſa, exulceratum eſſe umbilicum, & eandem ibi prodiiſſe materiem, quæ antea per urethram exſtillavit.

Si contagioſum venereum in ſanguinem reprimitur, & miſcetur, tunc lues peſſima generatur.

Quandoque vero hoc acre venereum mox ex maſſa ſanguinea iterum ſeparatur, & in quamdam corporis plagam deponitur.

Oriuntur tunc dolores acuti, qui tempore veſpertino in lecti præſertim tepore magis exacerbantur, & poſtquam ægros per plures horas acerrime divexarunt, fiunt mitiores, & ſequitur ſomnus, qui raro reficit, hinc tales ægri incipiunt emaciari.

Poſt aliquod tempus partes dolentes tument, rubent profunde, & ſenſim in ulcera maligna, fœda mutantur.

Sæpe hæc materies articulos occupat, & naſcitur arthritis venerea.

Scrophulas venereas, anginas, oph-

thalmias, ozænas admodum frequenter in nosocomio habuimus.

Leviores casus solo decocto hordei crudi, vel rad. lapath. acut. scorzoner. bardanæ, althææ, consolidæ majoris &c. & datis quandoque purgantibus, pauco mercurio dulci mistis, curabantur.

Si purgantia ægros debilitarunt, tunc præter decocta dabatur mistura N. 66. quæ egregios effectus præstitit.

Supra bubones, ut resolverentur, positum est emplastrum de ranis cum mercurio; vel ut in suppurationem abirent, varia cataplasmata applicata sunt.

Si vero lenioribus nec resolvi, nec in abscessum mutari potuerunt, tunc remedium N. 67. adhibitum est, cujus usu citra notabilem evacuationem sensim evanuerunt.

Hoc idem remedium N. 67. fere omnibus in casibus venereis præstantissimum fuit, multa autem decocta simul debent hauriri.

Fuerunt in nosocomio plures ægri, quorum malum & horrendum & triste erat visu, omnes enim articuli, omnia extremitatum & capitis ossa erant pessime exulcerata, in ipsis partibus mollioribus ulcera latuerunt putrida,

profunda, & membrana pinguedinosa corrupta, inque frusta corrosa sponte excidit.

Foetor vel eminus erat intolerabilis.

Nihilominus decoctis lignorum, quibus tertia pars lactis recentis addebatur, & remedio N. 67. omnes hi ægri sanati sunt; unica aderat femina, in qua nihil efficere potuimus; hæc vero pessimo hydrope simul laboravit, & jam prostratis omnibus viribus ad nosocomium translata est.

Ulcera bis quotidie decocto saturato lignorum, cujus libris quatuor unciæ sex ex remedio N. 67. addebantur, abluta, & linteis carptis, eodem decocto madidis, repleta sunt.

Plures ex his ægris antea jam salivationem subierunt, nil vero inde levaminis habuere, imo vires debilitatæ, & humores corrupti sunt.

Hinc patet, quanta sit efficacia remedii N. 67.

Sunt tamen ægri, qui hoc minus ferunt. Etenim qui pectus siccum habent, qui tussi vexantur, quorum systema nervorum admodum mobile est, qui hæmorragiis subjecti sunt, &c. his citra detrimentum hoc præberi non potest, licet multa decocta desuper bibantur.

Et sunt quandoque mala venerea, quæ huic remedio per plures menses adhibito non cedunt, aliis vero præparatis mercurialibus facilius curantur.

Sic plures ad nostrum nosocomium venerunt, qui jam in aliis locis decumbentes hoc remedio per plures menses absque ulla mutatione usi sunt; credidi tunc in exhibendo fors errorem fuisse commissum, aut diætam minus laudabilem ægros observasse, hinc magna cum cura & debitis cum cautelis idem iterum præbere cœpi, & expertus sum, me quoque hoc remedio actum agere.

Tentavi dein misturam N. 66. & haud raro celerem & bonum effectum vidi.

Aliis neque hæc mistura profuit, verum saturatum decoctum radicis bardanæ, in cujus libris quatuor duo grana mercurii præcipitati rubri soluti sunt, optime juvit.

Hac methodo pertinacissimos venereos furunculos, qui aliis remediis nequaquam cesserunt, aliquoties curavi, externe solum emplastrum diachyl. cum gummi adpositum est.

Hoc decocto multi a scabie venerea restituti, & liberati sunt.

Ophthalmiæ venereæ, quæ ſæpe nec ſalivatione, nec uſu fortiſſimi ſublimati corroſivi potuerunt emendari, ſolis pulveribus N. 68. curatæ ſunt.

Verum in omnibus caſibus decoctis ſemper copioſe utendum eſt.

Sæpe plurima mercurii præparata ſenſim in eodem ægro tentavi, & tamen nullum reperi, quod malo ſufficienter reſtitiſſet.

Et tunc meraca lignorum decocta quandoque juverunt.

Dum ægri erant macilenti, tunc his decoctis magna lactis recentis quantitas debuit addi.

Decoctum radicis ſarſaparillæ aliis quandoque longe efficacius deprehenſum eſt.

Femina bubonibus venereis affecta, ſeſe balneatori committit, qui applicato unguento tumores intra biduum diſpulit.

Verum ab eo momento ortus eſt ingens dolor in infimo ventre, qui verſus veſperas magna cum febre, & prægreſſa horripilatione quotidie exacerbatus fuit, nox inde fuit anxia.

Paroxyſmus ſemper copioſo ſudore finiebatur.

Tempore matutino fere omnis dolor abfuit, & pulſus erat naturalis; poſt

meridiem autem ſtata hora dolor iterum increvit, orta eſt febris cum horripilatione, &c.

Tali in ſtatu hæc ægra ad noſocomium tranſlata eſt.

Solam febrem intermittentem tunc conquerebatur, & prægreſſam morbi hiſtoriam, rogata licet, reticuit.

Hinc remedia febrifuga adhibui; verum hæc nihil effecerunt; ipſe cortex peruvianus, ad unciam unam & dimidiam tempore intercalari exhibitus, nullam mutationem adtulit.

Demum cum ægra vidit ſe variis medicamentis ſine levamine vexari, ſponte morbi originem faſſa eſt.

Dedi tunc copioſum, & meracum decoctum radicis bardanæ, & miſturam N. 66. unde ſecundo die jam febris & dolor erant mitiores.

Hinc iiſdem remediis per binas ſeptimanas continuavi; verum major in melius mutatio obſervata non eſt.

Quare tentavi remedium N. 67. hoc autem in ſterno ingentem ardorem, pectoris ſiccitatem, ſitim, & capitis dolores excitavit, unde illud removi.

Purgantia mercurialia præter copioſa decocta emollientia, diluentia nequaquam profuerunt, & vires imminutæ ſunt.

Atque ideo præcripsi decoctum meracissimum radicis sarsaparillæ, quo id effectum est, ut quarto die per urinam multa materies subfusca, tenax prodierit; quinto autem die erat urina tenuis; verum per uteri vaginam acris, crassa, & fœtens, subfusca materies exstillavit.

Dolores & febris tunc multum remiserunt.

Post binas septimanas nil amplius ex utero prodiit, febris & dolores penitus siluerunt, vires sunt quotidie auctæ, & ægra tandem optimam sanitatem recuperavit.

Nihilominus tamen suasi, ut decocto minus meraco per aliquot septimanas adhuc uteretur, ne quid in sanguine latitans novas denuo tragœdias foveret.

Vir 34. annor. ante quatuor annos tophum venereum in brachio sinistro habuit; usu emplastri ulcus inde sordidum excitavit.

Omnis generis remedia mercurialia tentata, nil mutarunt, decoctum autem meracum radicis sarsaparillæ copiose haustum, & externe supra ulcus appositum multa ossis fragmenta separavit, & intra binos menses ulcus rebelle penitus sanavit.

Ulcus venereum inveteratum in osse sterni hac ratione quoque curatum est.

Idem decoctum in arthritide venerea sæpissime profuit.



Vermes.

Remedium N. 55. quod in primo anno medico contra omnis generis vermes laudavi, hoc quoque anno multis ægris non tantum a me, verum & a doctissimo Medico Collin datum fuit optimo cum successu & integra curatione.

Unica femina, viginti quinque annorum, licet hoc remedio usa fuerit, & innumeri lumbrici sursum deorsumque fuerint expulsi, nihilominus tabe obiit, nec signa evanuerunt, quæ vermes in intestinis latitantes indicarunt.

Verum sectione anatomica invenimus intestina variis in partibus penitus arrosa, inflammata, corrupta, & microscopio infinita oblonga insecta visa sunt.

Intra ipsam substantiam intestini jejuni (intra membranas nimirum) latuerunt tres lumbrici, quorum quilibet longitudine quatuor pollices superavit.

Exscidi hanc intestini partem, infla-

vi, & hac ratione vermes intra membranas optime distinguebantur; dum vero in libero aëre reliqui, ut bene exsiccaretur, innumeri vermiculi nati sunt, & totum præparatum mox corruptum in surfures concidit.

Circa scabiem, arthritidem, erysipelas, asthma, scorbutum, diarrhæam, &c. hoc anno idem observavi, quod in anno primo retuli; hinc non credidi necesse esse ut ea hic repeterentur.



SECTIONES ANATOMICÆ.

CADAVER PRIMUM.

FEMINA, 24. ann., triennio abhinc valida febre continua, dolore in hypochondrio dextro acutissime pungente, & magna siti afficiebatur.

Venæ sectionibus, remediis antiphlogisticis, & cataplasmatibus emollientissimis febris undecimo die siluit, & dolor acute punctorius in obtusum & gravantem mutatus est.

Nihilominus increvit appetitus, augebantur vires, & malum in hypochondrio latitans videbatur adeo leve,

ut ægra id flocci fecerit, & se denuo ad priores suos labores contulerit.

Post binos circiter menses respiratio fiebat solito difficilior, & oriebatur tussis sicca, admodum molesta.

Usu diuturno variorum remediorum, tandem sputum glutinosum, tenax, largum prodiit.

Verum respiratio inde nequaquam emendata est.

Imo ortæ sunt magnæ pectoris anxietates, noctes fuerunt minus tranquillæ, & ægra sine molesta tussi ac summa pectoris angustia lateri sinistro incumbere non potuit.

Dolor in hypochondrio dextro circa aëris & tempestatis mutationes erat paulo acerbior; reliquis autem temporibus valde mitis & vix perceptibilis.

Per duos & dimidium annos ægra, variis afflicta miseriis, vitam languidam duxit, ita tamen, ut assumptis multis & optimis remediis quandoque binis ternisve septimanis belle se habuerit.

Dein vero per plures iterum dies difficilius respiravit, & molestiori tussi exagitata est, & fuit admodum debilis.

Tandem cœpit emaciari, & circa vesperas exsiccatæ sunt fauces, pectus

fiebat anxium, tuſſis frequens, ſitis magna, &, prægreſſa horripilatione, ſupervenit febris ingens; unde mox reddebatur inquieta, inſomnis.

Hæc ſymptomata quotidie pejora videbantur; omnia remedia erant fruſtra; ægra citra ſuffocationis metum nec dextro nec ſiniſtro lateri potuit incumbere.

Sudor nocturnus, acer, pruritum moleſtiſſimum excitavit, & vires magis proſtravit.

Demum hypochondrium dextrum valde tenſum prominuit, & ex minimo adtactu vehemens oriebatur dolor.

Dein bilis per univerſum corpus diffuſa eſt, & ægra fœdo colore, ex flavo nigreſcente, tingebatur.

Paulo poſt ſupervenit peſſima dyſenteria; unde mox reſpiratio fuit ſublimis, ſitis non delenda, tuſſis brevis, frequentiſſima; venter intumuit, & vera obſervabantur mortis præſagia.

Hoc in ſtatu moribunda ad noſtrum noſocomium devenit, & prima ſtatim nocte interiit.

Pulmo ſiniſter inveniebatur totus ſcirrhoſus, in unam molem concretus.

Dum is ſcalpello ſecabatur, exhibuit cavum, quod undique erat arroſum, &

ichoris fœtidissimi libram unam & uncias tres continuit.

Cor erat adeo parvum, ut ovum gallinaceum magnitudine vix adæquaret.

Hepatis lobi omnes quoque in unum scirrhum coaluerunt, in cujus medio ulcus cavum, omnia depascens, & quibusdam in locis ad extimam hepatis membranam penetrans, detegebatur.

Hoc in cavo liquor niger, fœtidus, acer latuit.

Vesicula fellea paucam quidem, sed profunde tinctam & gelatinosam bilem gerebat.

Cætera viscera videbantur sana.

CADAVER SECUNDUM.

VIR, 46. annor., præter causam sibi cognitam subito horrore corripitur, fit anxius, & linguitur animo.

Dum iterum ad se redit, sentit acutissimum, ardentemque dolorem in medio thoracis sinistri, cor palpitat vehementer, facies livet, sitis oritur ingens.

Mox repetitis vicibus secatur vena, dantur remedia copiosissima diluentia, antiphlogistica, externe locus dolens continuo fovetur.

Nihilominus ſymptomata manent æque vehementia, nec dolor remittit, nec ſitis; obſervantur anxietates & crebræ leipothymiæ, æger nec decumbere poteſt, nec præ dolore dormire, verum cogitur erecto trunco ſedere; reſpiratio eſt denſa, ſublimis.

Quarto die oriuntur frequentes horripilationes, cutis, alias ſicca, madeſcit, & dolor in thorace ſiniſtro paulisper remittit, manet tamen ardor magnus, continuus.

Æger ea nocte ſupinus per plures horas dormivit, & mane videbantur omnia mitiora.

Verum circa veſperas novæ & validæ horripilationes ægrum pervadunt, augetur ſitis, calor, anxietas, cor quandoque tremit, quandoque inordinata & valida palpitatione agitatur, circa mediam noctem ſequitur viſcidus, fœtidus & copioſus ſudor, ſymptomata tunc remittunt, & æger incipit ſomno occupari.

Poſt ſomnum erat iterum alacrior, & præter anxietates & ardorem in pectore ſiniſtro conquerebatur nihil.

Lateri ſiniſtro nequaquam potuit incumbere, in dextro fuit admodum anxius, ſupinus ſitus erat omnium facil-

limus, licet & hic fuerit molestus.

Circa vesperas exacerbantur iterum omnia symptomata, prægresso ingenti horrore, & sudor copiosus, nocturnus iterum defatigat ægrum.

Remedia quæcunque adhibita nil prosunt; & mala symptomata omni vespertino tempore redeunt, augentur.

Demum vires labuntur, carnes evanescunt, & morbus fit in dies periculosior.

Hinc æger fertur ad nostrum nosocomium.

Symptomatibus rite combinatis & tota mali historia partim ex ipso ægro, partim ex ejus adstantibus collecta, facile conclusi, in thorace circa vitalia hærere abscessum.

Pulsus tunc omni momento mutabatur; mox enim erat tremulus, mollissimus, exiguus, mox fortis, plenus, inæqualis, dicrotus, remittens, nunquam vero perfecte intermisit.

Cordis motus admodum inæqualis & inordinatus tactu percipiebatur.

Arteriæ carotides adeo vehementer pulsitarunt, ut collum totum continuo tremuerit.

Magnam circa hunc morbum curam adhibui, & varia tentavi remedia, quæ

partim emollirent, partim ſanguinem a corruptione conſervarent, atque pus latens per urinæ vias ſenſim exterminarent.

Verum plurima ægro erant magis moleſta quam utilia.

Infuſum N. 70. omnium optime conduxit.

Etenim ejus ope cœpit ſputum purulentum prodire, urina craſſa, poſuit ſedimentum puriforme, copioſum; & reſpiratio videbatur pauliſper emendari, & pulſus fieri æqualior.

Aſt vires auctæ non ſunt, & veſpertinæ exacerbationes fiebant ſenſim validiores, & ſudor largior.

Poſtquam per ſeptem circiter dies quædam ſymptomata meliora eſſe putavimus, mox derepente omnia iterum in peſſimum ſtatum devenerunt.

Pulſus tangebatur minimus, & ſæpe penitus evanuit; reſpiratio erat anxia, laborioſiſſima; ſputum retinebatur, urina prodiit limpida, tenuis; intumuit ſcrotum, & omnia extrema; tandem æger mox friget, mox calet; & ſub finem totus lividus ſuffocatione interimitur.

Aperto thorace reperiebantur pulmones nigri, tenues, penitus compreſſi,

Pericardium vero magnitudine caput humanum fere ſuperavit, & tactu fluctuatio in eo percepta eſt.

Unde diſciſſum fudit puris boni libras ſex.

Interna pericardii lamella ab exteriore ſeceſſit, & ſaccum ingentem efformavit, qui ruptus pus in cavum pericardii dimiſit.

Cor & cætera viſcera fuerunt ſana.

Venæ duræ-matris autem varicoſæ, ſanguine grumoſo diſtentæ.

CADAVER TERTIUM.

HOMO, 25. annor., debiliſſimus, anxius, totus macilentus, fertur ad noſocomium.

Facies erat livida, & pulſus parvus, inæqualis, & plerumque antequam arteria ſeſe contraxit, duo, tres, quatuorve dilatationis ictus obſervati ſunt.

Ex iis, qui hunc ægrum ad noſocomium comitabantur, ſequentem morbi hiſtoriam adnotavi.

Hicce homo erat alias ſemper ſanus, verum biennio abhinc validas cordis palpitationes conquerebatur, ita quidem, ut ſine animi deliquio corpus

fortiori motu exercere non potuerit.

Unica larga venæ ſectio tunc omne malum ſuſtulit, & per integros novem menſes ſanitas erat optima, nec ullus motus nocuit.

Poſtea autem cordis palpitatio iterum ſubito ægrum prehendit.

Venæ ſectio tunc quidem malum reddidit mitius; minimus autem corporis motus illud iterum reſuſcitavit.

Imo acceſſerunt pectoris anxietates, frequentes leipothymiæ, & extrema plerumque frigida fuerunt.

Tentata plurima & optima remedia, celebratæ plures venæ ſectiones malum quidem per aliquod tempus inhibuere, verum tollere id non poterant, & ægrum ſemper debilitarunt.

Intra paucos menſes morbus adeo altas egit radices, ut æger jam continuo debuerit lecto inhærere.

Etenim leviſſimus motus ſummas excitavit anxietates, & per totum corpus induxit lethale frigus.

Symptomata uno ſubinde die erant mitiora, altero autem adeo iterum valida, ut æger nec manus, nec pedes citra ſummas cordis palpitationes movere potuerit; & mors omni momento erat præ foribus.

His in miſeriis cum æger non amplius haberet, quo ſe aleret, ferebatur ad noſocomium.

Quoniam ex narratione tunc percepi, quod æger jam per plures dies nullum omnino ſomnum habuerit, dedi eadem veſpera duo grana opii, ut hac ratione quies conciliaretur, campeſcerentur ſpaſmi, animus redderetur hilarior, & reficeretur corpus.

Succeſſus voto reſpondit: etenim nox fuit quieta, ſomnus bonus, & poſtero mane æger lætiſſimus infinitas pro tam egregio medicamento gratias egit.

Per diem tunc dedi remedium N. 71. & ſerum lactis pro potu ordinario, pro cibo autem juſcula vitulina, & tenues panatellas.

His malum longe mitius redditum eſt, & æger non tantum in lecto ſe potuit movere, ſed & extra lectum ſubinde ambulare.

Nec ulla amplius animi deliquia ſupervenerunt.

Cor valida palpitatione non amplius agitatum fuit, ejus tamen motus erat admodum inordinatus, tremulus, & pulſus inæqualis, parvus, atque frequenter obſervatum eſt, arteriam iterato ictu dilatari, antequam iterum contraheretur.

Per ſeptem circiter menſes æger ſat commode vixit, appetiit, & vires augebantur.

Dein vero omnia momento citius præter cauſam manifeſtam in pejus ruerunt, ſecutum eſt animi deliquium, evanuit pulſus, acceſſit lethale frigus, facies livuit, tumuit, & ſpatio trium horarum vita finiebatur.

Partes carnoſæ, & omnia viſcera erant pallida, flaccida.

Pericardium multo ſero limpido, inodoro, inſipido repletum.

Cor inveniebatur difforme: nam ſiniſter ejus ventriculus magnitudine fere duos pugnos viriles adæquavit, & ejus ſubſtantia in tenuem fibroſum ſaccum extenſa fuit; in ejus cavo latuerunt multi polypi; tres ex his erant magni, albi, rotundi, nuces juglandes magnitudine ſuperantes; unus, duos pedes longus & parvum digitum craſſus, ſerpentis inſtar circumvolvebatur circa muſculoſa hujus ventriculi lacerta; alius polypus tres pollices longus, & unum cum dimidio craſſus in arteriam aortam penetravit, & obſtruendo totum cavum, ſanguini ex corde exitum interclusit.

Dexter cordis ventriculus erat plenus

grumoso sanguine, & vasa pulmonum ac cerebri simili quoque sanguine turgebant.

CADAVER QUARTUM.

Femina, 30. annorum, jam a longo tempore solito difficilius respiravit, & tussitatione inani ac frequenti est vexata.

Variis intervallis cœpit angi, facie livere, & tunc inhibita respiratione fere suffocabatur.

Morbus pro malo hysterico tunc habitus est.

Unde & remedia antihysterica varii generis fuerunt tentata, & usu longo adhibita.

Verum hæc morbum plerumque exacerbarunt, & juverunt nihil.

Venæ sectio in summis anxietatibus quandoque levamen adtulit.

Respiratio quotidie fiebat pejor, facies tumuit, livuit, oculi lachrymantes protuberarunt, & ægra nec decumbere, nec ambulare potuit, sensim manus & pedes inflati sunt.

His in miseriis ad nosocomium devenit.

Pulsum inveni inæqualem, parvum,

respiratio erat sublimis, brevis, & exspirando conquerebatur ægra pulmonem quasi in pectore natare, & vi versus superiora trahi: vox erat minima, anxia.

Remediis paregoricis huic ægræ tunc magnum levamen adtuli, respiratio enim reddebatur facilior, pulsus liberior, sequebatur somnus, interruptus quidem ob insomnia, & anxietates, quæ sæpe & subito oriebantur, attamen reficiens.

Altero mane ægra liberius loquebatur, & sputa glutinosa, crassa rejecit, nec adeo anxia fuit.

Sputum igitur remediis incidentibus, & mellitis promovere conatus sum, & præterea omni quinta, sextave hora dedi grana quatuor massæ pilurarum de cynoglosso, ne novi iterum spasmi malum denuo exacerbarent, & sputum retinerent.

Similibus remediis effectum est, ut vox fuerit multo melior, respiratio plenior, pulsus sat æqualis, fortis, sputum largum, & extremorum tumor longe minor, mollior.

Demum ægra extra lectum iterum potuit ambulare.

Verum minima aëris mutatio mox om-

nia symptomata iterum pejora reddidit ; & hæc ægra erat verum vivum baromethrum.

Malum licet multum levatum ægræ & mihi videretur , pulmonis tamen conditio non potuit mutari.

Etenim ægra semper conquerebatur pulmonem in pectore natare, & repetitis vicibus vi versus fauces elevari.

Noctu ægra subinde potuit supina dormire ; verum subita & anxia suffocatione sæpius expergefacta est.

Quandoque pulsum durum & plenum reperi , & tunc anxietates erant multo majores , & respiratio brevior.

Venæ sectio hoc in statu debebat instituì , & semper morbum mitigavit.

Verum sensim malum iterum in pejus ivit , suppressum est sputum , & remedia expectorantia , & paregorica , quæ hucusque optimos præstiterunt effectus , nequaquam profuere.

Infusum tamen N°. 70. sputa iterum mobilia reddidit , & opiatis vespertinis tranquillus somnus potuit induci.

Unde ægra iterum multo melius se habuit , præsertim dum aër serenus , & tempestas sicca fuit.

Dum vero , elapsis circiter sex septimanis , subito tempus humidum , nebulosum ,

losum, & frigidum ortum est, ægra denuo pessimis symptomatibus affligebatur; non tantum extrema, sed & totum reliquum corpus œdematoso tumore subito turguit, vox suppressa est, & pulsus tantum tremulus, & minimus potuit summa attentione distingui. Respiratio erat pessima, suffocans.

Hinc tertio die vis vitæ extincta est.

Aër per totum pulmonem diffusus reperiebatur, & membrana cellulosa hinc inde in vesicas, viri pugnum magnitudine æquantes, ab aëre summe elastico elevabatur, hinc inde tales bulæ cellulosæ minores detectæ sunt.

Pulmo in frusta dissectus, & in terram projectus magna vi, & elasticitate resiluit.

In pluribus tabidorum cadaveribus aërem hac ratione in bullas, & per substantiam pulmonum diffusum, & e suis vasis egressum inveni, & quoniam nulla in pulmone peculiaria cæteroquin vitia reperiebantur, tota morbi, consumptionis, & mortis causa in hunc aërem extravasatum transferri potuit.

Videtur igitur dari phthysis, seu consumptio aërea.

Ex multiplici observatione sat firmus fiebam in hoc morbo dignoscendo.

Verum licet optime cognoscatur, curari nunquam potest; rationem facile concipit ille, qui respirationis organa, & modum, atque aëris qualitates probe novit.

In eodem hoc cadavere hepar, licet colore, mole, figura, & mollitie sanissimum, casu fortuito per medium lenta manu discindere tentavi, & dum semi-pollicis profunditatem scapello adtigi, serum copiosum versus me prosiliit.

Hinc sectionem majori adtentione curavi institui ab nostro expertissimo chirurgo HAFFNER.

Et tunc detegebatur in medio hepatis saccus albus, membranaceus, plenus sero limpido, insipido, inodoro.

Huic sero innatabant septem corpuscula rotunda, pellucida, alba.

Tria ex his ovum gallinaceum magnitudine paulisper superarunt, reliquorum vero quodlibet simile erat nuci juglandi.

Hæc corpuscula nec sibi invicem, nec partibus vicinis adhæserunt, sed liberrime fluctuarunt.

Neque inveniebatur quædam cicatrix aut quidam locus, qui ostendisset, ea ullibi antea adhæsisse.

Hæc corpuſcula conſtabant ex membrana, quæ erat ſimillima ei, qua ovorum teſta interius ambiuntur; in hac membrana recludebatur ſerum inodorum, inſipidum, tenue, ſubflavum.

Mirum! qua ratione talia generentur.

CADAVER QUINTUM.

FEMINA, 25. annorum, phthyſi, hydrope ventris, & uteri deterrimo fluore adeo debilitabatur, ut quarto die, quo in noſocomio fuit, interierit.

Materies, ex utero prodeuns, erat lenta, alba, ſubinde granuloſa, calcaria, admodum copioſa, nequaquam tamen acris, nec fœtida.

Sectione anatomica vidimus pulmones adeo exeſos ab acri ichore, ut nil niſi membranam craſſam, flaccidam, exulceratam referrent.

In abdomine latuit ſerum copioſiſſimum, nigrum, fœtidum, quod totum omentum in fruſta conſumpſit, & inteſtina, atque ventriculum partim arroſit, partim adeo mollia, & flaccida reddidit, ut minima vi in pultem potuerit conteri.

Uterus, & uteri vagina videbantur vere gangrænoſa.

Ovarium autem utrumque erat pugno viri majus, tuberosum, durum.

Hæc tubera discissa continebant materiam albam, duram, vere cretaceam.

Etenim erat friabilis, & cum acidis effervuit.

Vesica ea ex parte, qua uterum, & vaginam spectat, erat quoque arrosa, semi-putrida.

CADAVER SEXTUM.

FEMINA, 28. annorum, sana alias, & admodum robusta, eo tempore, quo menses fluebant, præter causam sibi cognitam vomitu violentissimo corripiebatur, & mox fluxus menstruus retentus est, & oriebatur summa pectoris angustia, extrema frigebant, & cor inordinato motu, & palpitatione agitatum fuit.

Applicabatur ilico enema, & larga venæ sectio est instituta, & data sunt medicamenta, quæ vomitum violentum compescerent.

Sub initium hac nihil profuerunt, postea vero sequebatur summa virium prostratio, & ægra cœpit dormire.

Poſt ſomnum multo melius ſe habuit, ad rogata reſpondit, & oblata commode deglutivit, nec ea vomitu rejecit.

Verum tamen manſit anxietas circa præcordia, & cor valide palpitavit.

Sanguis menſtruus non amplius comparuit.

Senſim tamen omnia ſymptomata fiebant mitiora, & vires redierunt, & ægra extra lectum leni ambulatione potuit corpus movere.

Fortior autem motus ilico induxit extremorum frigus, anxietates, & animi deliquium.

Ad fundum ventriculi percipiebatur continua pulſatio, quæ cordis motui correſpondebat.

Ab aſſumptis plerumque orta eſt magna anxietas, cordisque palpitatio.

Varia remedia, ab optimis medicis præſcripta, nil juverunt.

Altero menſe, quo ſanguis ex utero iterum prodire debuiſſet, nil comparuit, licet circa os ſacrum & ad inguina ortus ſit magnus dolor.

Tunc autem temporis pulſatio in epigaſtrio erat longe violentior, anxietas major, & tactu poterat percipi infra

ventriculum quidam tumor, renitens, pulsans.

Venæ sectio tunc in brachio celebrata, magnum levamen adtulit, & ægra per tres septimanas iterum extra lectum fuit, ambulavit, & cibos citra magnas supervenientes anxietates assumpsit, tulit.

Postea malum iterum auctum est, tumor pulsans, erat multo major, vires debiles, ægra stando vel ambulando, ingratum, & anxium pondus in epigastrio sensit, quod minus molestum erat, dum ægra erecto, & in anteriora inclinato trunco in lecto sederet.

Nullum jam remedium superesse videbatur, unde ægra ad nosocomium transmissa est.

Inveni hypochondria tensa, & totum epigastrium durum, pulsus erat inæqualis, & alvus non prodiit, nisi enema injiceretur.

Noctes fuerunt plerumque insomnes.

Dedi pro medicamento rob sambuci admodum copiosum, cujus unciis quatuor addita est una drachma salis polychresti, pro potu ordinario exhibui serum lactis, vel emulsum ex quatuor seminibus frigidis, & qualibet vespera remedium opiatum.

His alvus reddebatur libera, tensio hypochondriorum remisit, & noctes fuerunt magis quietæ.

Ægra cœpit appetere, & cibos sine molestia ferre, redierunt vires, & vix ullæ cordis palpitationes amplius observatæ sunt, pulsus ærat magis æqualis.

Per tres & dimidium menses ægram hac ratione conservavi, & subinde tumor in epigastrio minor molliorque tactu percipiebatur.

Postea vero ægra subito debilitata est, accesserunt vomitus æruginosi, & alvi fluxiones biliosæ, acres; tumor subito increvit, nec ullum medicamentum quid levaminis adtulit, unde intra paucum tempus aderat summa macies, extremorum frigus, mors.

Omentum, ventriculus, intestina erant e suis locis emota, & compressa.

Pancreas autem mole admodum magnum & adeo grave, ut tredecim libras civiles pondere excesserit.

Sectione detegebatur, id in saccum esse extensum, qui plenus erat sanguine partim grumoso, partim adeo coagulato, & membranaceo, ut in lamellas potuerit separari.

An violento vomitu arteria in medio pancreate rupta, continuo fudit sangui-

nem, & ſenſim pancreatis ſubſtantiam in ſaccum diſtendit, & tantæ molis tumorem produxit?

CADAVER SEPTIMUM.

HOMO 45. annorum, a binis, & dimidio annis tuſſiculam ſiccam, & admodum defatigantem habuit, nec ſiniſtro lateri ſine majori tuſſi & ſumma anxietate incumbere potuit.

Sola paregorica remedia quandoque tuſſim inhibuerunt, & malum reddiderunt per aliquot horas mitius; reliqua magis moleſtiæ quam utilitati fuerunt.

Sputum nullum prodiit, niſi tenue, aquoſum, ſpumoſum.

Vires ſenſim omnes conciderunt, defluxere capilli, evanuerunt carnes, ſupervenit ſudor nocturnus copioſus, acer, tandem mors.

Pulmo dexter erat ſaccus membranaceus, qui octo libras ſeri fœtidi, acris, ſubfuſci recluſit.

Cætera fuerunt ſana.



CADAVER OCTAVUM.

HOMO 39. annorum, a novem mensibus conquerebatur acutissimum dolorem in anteriore dextra capitis parte.

Dolor circa vesperas quotidie exacerbatus est cum delirio, cui plerumque violentæ totius corporis convulsiones jungebantur.

Quamvis nihil fuerit intermissum, quod vel externo, vel interno usu prodesse potuisset, malum tamen in dies in pejus ruit.

Æger sæpius æruginosa vomuit, tandem extenuatus convulsione obiit.

Inveniebatur anterior cerebri lobus dexter fere totus in fœtidissimam putrilaginem dissolutus.

Intestina omnia erant penitus contracta, nodosa; ventriculi substantia digitum crassa, ejus autem cavum adeo parvum, ut vix libram dimidiam receperit.

CADAVER NONUM.

FEMINA 40. annorum, octodecim abhinc mensibus in diarrhæam incidit, quæ

vires multum diminuit, & appetitum delevit.

Alvus erat frequentiſſima, verum pauca, plumbea, liquida.

Nullum medicamentum juvit.

Adſtringentibus quidem fœces retentæ ſunt, mox autem intumuit venter, & ſequebatur vomitus materiæ ſubnigræ, qui ægram debilitavit, & in mortis periculum conjecit.

Poſtquam per integrum annum hoc morbo ægra defatigata, & extenuata fuit, & dein non amplius habuit, quo vitam ſuſtentaret, tranſivit ad noſocomium.

Summum in hac ægra curanda ſedulitatem & adtentionem adhibui, & omnes mutationes ſcrupuloſe obſervavi.

Vidi autem remedia leniter tantum adſtringentia peſſimos effectus produxiſſe.

Opiata ſoporem profundum adtulerunt, & tendinum ſubſultus excitarunt.

Uſum oleoſorum ſummus in ventriculo ardor ſequebatur, & orti ſunt ructus erodentes, rancidi.

Verum decoctum ſaturatum radicis ſalab, & ſerum lactis, cujus libris quatuor uncia una ſpiritus nitri dulcis adjiciebatur, pro libitu potatum morbum adeo

levem reddiderunt, ut ægra iterum cœperit cibos appetere, eoſque digerere; & alvus tantum bis terve per diem prodiit.

Color autem fuit ſemper plumbeus, fœtor fere nullus.

Urina erat copioſa, ſemper tenuis, ſubviridis, inodora; relicta per biduum non corrumpebatur, tertio autem die turbida geſſit in ſuperficie pelliculam pinguem, ſplendentem, & fœtuit.

In ſextum menſem morbus ſat mitis fuit, vires tamen auctæ non ſunt, nec carnes creverunt, & oſſa flaccida tantum pelle tegebantur.

Sub finem ſexti menſis ſupervenit tuſſis violentiſſima, prodierunt ſputa ſubnigra, fœtida, non levantia, aucta iterum eſt diarrhæa, & cœperunt cibi crudi, plumbeis fœcibus miſti, prodire.

Medicamenta iterum varia tentavi, & malum ſubinde videbatur emendari, levari; verum tale levamen non diu duravit.

Ex nimio alvi fluxu tandem ſputa ſuppreſſa ſunt, & vox eſt penitus deleta; unde anima exſuccum corpus deſeruit.

Pulmones erant flaccidi, exeſi, nigri.

Nigrum quoque fuit pericardium, pleura, diaphragma, omentum; ventriculus, omnia inteſtina, veſica urinaria, peritonæum, uterus, uteri vagina, & ipſe cerebri meninges.

Cerebrum, cor, hepar, lien, renes, omnes partes muſculoſæ, & integumenta corporis externa naturalem colorem habuerunt.

Plumbeo autem, & nigreſcente colore erat quoque tincta pancreatis ſubſtantia, & ejus ſuccus.

Mirum certe! unde hæc mutatio.

CADAVER DECIMUM.

VIR 56. annorum, a pluribus annis habuit dolorem obtuſum in lumbis.

Hicce dolor erat in latere ſiniſtro longe vehementior, quam in dextro, & ſe ſubinde ad unguina extendit, & retinuit urinam.

Quoniam autem ad fundum vaſis, in quo urina aſſervabatur, ſabulum rubrum, copioſum ſemper inveniebatur, orta eſt ſuſpicio: an non in renibus lateret calculus?

Data ſunt propterea omnis generis remedia lithontriptica, urina inde co-

piosior fuit, & facilior, & dolor circa renes est multum imminutus.

Imo per integros menses subinde malum adeo leve erat, ut æger omnes suos labores absque ulla molestia potuerit perficere.

Dolores quidem semper sensit obtusos & gravantes in lumbis, nihilominus ii leves erant, & urina sine impedimento prodiit.

Tempore tamen humido & frigido, dolores paulisper exacerbati sunt.

Et urina paucior fuit, & prodeundo excitavit ardorem.

Per integros septem annos hac ratione æger se conservavit.

Posthac vero oriebatur in hypogastrio ex latere sinistro dolor acutissimus, qui se ad lumbos usque extendit, & mox retenta est urina, supervenit magnus calor, & sitis, & ingens febris.

Cataplasmata loco dolenti ilico sunt applicata, sanguis repetita venæ sectione est emissus, & data sunt copiosa decocta.

His sensim prodiit pauca, flammea urina, & dolor acutus paulisper remisit; verum tensio mansit admodum molesta ex unguine sinistro ad lumbos usque.

Æger sæpius vomuit, & tunc sensit vesicam urinariam ex chorda quasi suspensam versus lumbos trahi.

Remedia urinam pellentia, quo erant fortiora, eo magis malum exacerbarunt & urinæ exitum interclusere.

Decoctum radicis althææ, & glycyrrhizæ ægrum maxime levavit.

Tandem dolor quoque in latere dextro ortus est, qui a lumbis ad inguen dextrum se extendit.

Retenta est urina per binos dies, dein iterum prodiit guttatim & magno cum ardore.

Dolores circa lumbos, & in toto infimo ventre, præsertim vero ex latere sinistro aucti sunt.

Supervenerunt tormina, & anxii vomitus, qui læthale frigus induxerunt.

Variis remediis hæc tandem iterum mitigata sunt, & prodiit pauca urina.

Demum æger ad nosocomium est translatus.

Pulsum tunc inveni debilem, inæqualem, corpus emaciatum, pedes tumidos, circa lumbos quoque mollis tumor observabatur, urina prodiit pauca, albicans.

Dolores ex inguine versus renes in utroque latere æger conquestus est, in

lumbis autem tensionem dilacerantem.

Dedi tunc mane & vesperi drachmam dimidiam pulveris uvæ ursinæ, & desuper feci hauriri uncias sex decocti saturati radicis althææ.

Melius inde habuit, prodiit urina copiosior, nec tanti percibiebantur dolores.

Tumor tamen lumborum & pedum, increvit.

Et post quatuor circiter menses urina subito iterum retenta est; nec ulla amplius gutta prodivit.

Totus venter tendebatur, orti sunt enormes dolores colici, vomitus singultus, æger factus est soporosus, deliravit, & quarto die moriebatur.

In cavo thoracis & abdominis latuit multa aqua subflava.

Ambo uretheres inveniebantur in varias flexuras incurvati, & adeo ampli, ut diameter sinistri quatuor pollices superaverit, dextri autem unum, & dimidium.

Renis utriusque substantia erat penitus destructa, & in saccum tenuem, membranaceum extensa, quorum sinister magnitudine caput pueri, quatuor circiter annorum, adæquavit, dexter autem habuit molem duorum pugnorum.

In uretheribus, & in ſaccis renalibus continebatur ſerum ſubflavum, inodorum.

Eo in loco, ubi ſiniſter urether veſicæ inſerebatur deprehenſa eſt calloſa durities inſtar nucis avelanæ, quæ uretheris cavitatem penitus obſtruxit & urinæ tranſitum abolevit.

Dexter autem urether in diſtantia pollicis a veſica erat firmiſſime conſtrictus, inflammatus, ſemi-gangrænoſus.

Veſica urinaria fuit dura, & in minimam molem contracta.

Aderat igitur peſſimus renum hydrops.

Huic ſectioni interfuit doctiſſimus medicus caſtrenſis KOLLMANN, & Dominus LEBER, noſocomii civici chirurgus optimus.

CADAVER UNDECIMUM.

HOMO 29. annorum, a decimo ætatis ſuæ anno cœpit dolorem pungentem in latere thoracis dextro circa quintam coſtam veram percipere.

Hic dolor per vices abiit, & rediit iterum cum vehementia.

Poſt ſeſqui anni ſpatium jungebatur huic dolori tuſſicula ſicca.

Applicatis variis externis internisque remediis, tussis & dolor iterum siluerunt, & æger per octo annos fere nihil advertit.

Subinde tantum ex violentiori risu, sternutatione, aut celeri, ac vehementi corporis motu priori in loco quidam dolor acute pungens observabatur, qui vero mox iterum conquievit.

Elapso octo annorum spatio tussis denuo oriebatur admodum valida, & tunc dolor punctorius quoque resuscitatus est.

Remediis expectorantibus sputa promovebantur.

Tussis fiebat mitior, unde & dolor pungens imminutus fuit.

Nunquam tamen penitus evanuit, sed mansit continua ejus loci tensio, & ardor.

Per vices sine causa excitante ægrum tussis siccissima subito prehendit, quæ adeo molesta, & anxia fuit, ut tota facies tumuerit, livuerit & æger fere fuisset suffocatus.

Dein hæc per plures septimanas iterum mitia fuerunt.

Sic disparuerunt, & redierunt morbi symptomata.

Verum sesqui anno abhinc tussicula

manſit continua, juncta cum acutiſſimo dolore punctorio, & continuo ejus loci ardore.

Sæpius per diem tuſſis exacerbata eſt, & dolor adeo acutus redditus, ut æger fere exanimis ceciderit.

Ex tuſſis vehementia, & doloris acerbitate, ſubinde convulſiones productæ ſunt.

Hunc ægrum nullum medicamentum juvit, appetitus, qui antea bonus erat, deletus eſt, reſpiratio reddebatur anxia, vires debiles.

Dum miſerrimus hicce æger ad noſocomium venit diverſiſſima quoque medicamenta adhibui, verum nil effeci; ſolis opiatis fortioribus quandoque dolorem, & tuſſim mitigavi, & ſomnum trium quatuorve horarum conciliavi, quo æger multum reficiebatur.

Nihilominus corpus totum ſenſim extenuatum eſt, & reſpiratio fiebat adeo laborioſa, ut æger jam non amplius potuerit decumbere; ſed erectus debebat ſtare, aut ſedere.

Tuſſes ſuffocativæ, & convulſiones totius corporis frequenter obſervabantur.

Sputa nulla prodierunt, aut ſi quid viſum eſt, illud erat aquoſum, ſpumo-

ſum , ſtriis ſanguineis variegatum.

Poſt multas luctas æger tandem ſuccubuit.

Thoracis cavitates, & pericardium continebant copioſiſſimum ſerum.

Pulmones erant in quibuſdam locis flaccidi ; in aliis autem aëre elaſtico, & e ſuis vaſis egreſſo, diſtendebantur.

Eo in loco, quo percipiebatur dolor punctorius, erat pleura partim calloſa, partim inflammata, gangrænoſa, exulcerata.

Ex pulmone huic loco adjacente prodiit cuſpis oſſeus aciculæ inſtar acutus, & ſectione detegebatur in ipſa pulmonis ſubſtantia os tres pollices longum, & $\frac{1}{4}$ pollicis craſſum.

Hoc igitur oſſiculum irritavit pleuram & tuſſim adeo validam, & lethalem induxit.

CADAVER DUODECIMUM.

FEMINA 36. annorum, a triennio fere omnia, quæ aſſumpſit, vomitu rejecit.

Nec ullum medicamentum ei adtulit levamen.

Hinc contabuit, & eſt mortua.

Hepar, mole ingens, pondere novem libras civiles ſuperavit, & componebatur ex infinitis ſteatomatibus, quæ racematim ſibi invicem adhærebant.

Veſicula fellea erat penitus compreſſa, rugoſa, & præter paucam granuloſam bilem nil continuit.

Ex fundo ventriculi lata radice hæſit ſcirrhus inæqualis, durus, capite infantis major.

Pilorus craſſus, durus, exiguam tantum aperturam habuit.

CADAVER DECIMUM TERTIUM.

FEMINA 64. annorum, longo tempore difficili reſpiratione angebatur, & ex paulo fortiori motu eam palpitatio cordis prehendit.

Venæ ſectiones repetitæ, & remedia purgantia eam per plures annos ſat bene conſervarunt.

Dein vero hæc potius auxerunt malum, & ægra debebat lecto inhærere.

Tuſſi nullum ſputum prodiit? abſque opio nullus ſequebatur ſomnus; pulſus fuit ſemper parvus, inæqualis, quandoque intermiſit, ſæpe autem ita eva-

ruit, ut extrema facta fuerint frigida, & ſupervenerit magnum animi deliquium poſtea tamen quidam calor rediit, & pulſus iterum cœpit comparere.

Extrema manuum ac pedum ſemper erant ſubfrigida, licet ægra in pectore continuum ardorem conquereretur.

Cordis motus fuit ſemper inæqualis, & ſæpiſſime tremulus.

Tandem ægra iterum validiſſimo animi deliquio derepente correpta eſt, nec amplius incaluit, & per tres dies relicta nullum vitæ ſignum dedit.

Obſervabatur cadaveroſus odor, & putridum liquamen ore, & naribus prodivit.

Hinc ſectio anatomica inſtituebatur.

Pulmones erant nigri, graves. In ventriculo dextro cordis paucus ſanguis grumoſus repertus eſt.

Siniſter autem inveniebatur in magnum ſaccum membranaceum extenſus, in quo unicus erat polypus, qui uncias quatuor pondere pauliſper exceſſit.

Arcus arteriæ aortæ fuit perfecte oſſeus, craſſus, tranſitus autem adeo anguſtus, ut nec parvus digitus intromitti potuerit.

CADAVER DECIMUM QUARTUM.

FEMINA, 24. annorum, die 16. Januarii 1760. ex loco calido in frigidum ſe contulit corpore non admodum bene tecto.

Subitas tunc ſenſit horripilationes, dein dolorem acutiſſimum in latere ſiniſtro, tandem calorem magnum, & ſitim enormem, unde frigidam avidiſſime hauſit.

Paulo poſt difficillime reſpiravit, anxia cordis palpitatione vexata eſt, & conquerebatur ſummum in thorace ſiniſtro ardorem.

Sanguis ilico larga copia ex vena miſſus eſt, & data ſunt copioſa decocta, aliaque remedia.

Verum nil levaminis inde ſequebatur, vires omnes ſunt proſtratæ, & ſymptomata ſemper in pejus ruerunt.

Tunc ægra miſerrima deferebatur in noſocomium.

Pulſus erat minimus, facies livida, oculi concavi, reſpiratio ſublimis, denſa, ſitis immanis, extrema frigida.

Ægra erecto corpore debebat ſedere;

dum enim ſupina decubuit, anxia fuit, & fere ſuffocata eſt, idem contigit ex ſitu in latere dextro: dum vero in latus ſiniſtrum ſe vertit, ortus eſt dolor acute punctorius, & mox ſupervenit animi deliquium.

Optima quamvis medicamenta interne externeque adhibita fuerint, ſymptomata tamen ſemper pejora facta ſunt, & anxietas tanta, ut ægra nec loqui, nec ejulare, nec gemere potuerit, pulſus quandoque penitus evanuit, extrema fuerunt gelida, reſpiratio erat ſemper peſſima. Die 22. Januarii ſubita mors finem miſeriis impoſuit.

Pulmones erant intus, extuſque ruberrimi, quaſi materie ceracea injecti.

Pericardium, valde diſtentum, replebatur pure tenui, & ejus membrana interna erat penitus corroſa.

Cor, ea ex parte, qua anteriora ſpectat ad magnam profunditatem ſuppuratum inveniebatur, & verſus baſin penitus gangrænoſum.

Arteria aorta ex ſuo principio ad pollicis longitudinem ſuppuratione quoque affecta fuit.

In vaſis majoribus latuerunt numeroſi polypi.

CADAVER DECIMUM QUINTUM.

FEMINA, 35. annorum, inter continuos vomitus æruginosos tota frigida, & exhausta fertur ad nosocomium, & spatio dimidiæ horæ moritur.

Venter erat magnus, tensus, subcæruleus.

Intestina omnia inflammata, aut gangrænosa.

Super his, & inter giros reperiebatur multa materies flava, crassa, tenax, crustæ inflammatoriæ simillima.

In intestino jejunio latuit volvulus, sesqui spithamam longus; ubi nimirum intestinum inferius, a superiore cum suo mesenterio receptum, firmissime strangulabatur.

CADAVER DECIMUM SEXTUM.

FEMINA, 33. annorum, hydrope ventris, & pessima phthisi interimitur.

Pulmo dexter erat partim scirrhosus, partim a sanie acerrima exesus.

Sinister

Siniſter autem abſceſſulis refertus firmiſſime cum coſtis concrevit, & ibi ſaccum efformavit pure plenum, quod ſenſim pleuram ibidem conſumpſit, & arroſit coſtas, atque per partes membranaceas egit fiſtulam uſque ad renem ejuſdem lateris, & hunc quoque leni ſuppuratione jam cœpit afficere.

In abdomine fluctuavit multum ſerum flavum, turbidum.

Omentum, pollicem fere craſſum, cartilagineam duritiem habuit.

Saccus cæci erat ſuppuratus, & inteſtina reliqua hinc inde livida, ſemigangrænoſa.

Hepar naturale, fellis autem veſicula geſſit centum quinquaginta tres calculos, quorum quilibet piſum magnitudine adæquavit.

CADAVER DECIMUM SEPTIMUM.

FEMINA, 60. annor. remed. N. 69. aliquoties in noſtro noſocomio a ventris hydrope liberata fuit, ita tamen, ut ablata ex ventre aqua, qualibet vice in hypogaſtrio quidam durus tumor remaneret, qui nullo medicamento potuit emendari.

Hinc denuo post paucas septimanas datis quantumvis optimis remediis hydrops semper rediit.

Demum fiebat respiratio anxia, cœpit pes, manusque sinistra œdematoso tumore inflari, habebantur vires, & noctu ægra subita extincta est.

In aspera arteria & in bronchiis multus sanguis grumosus extravasatus continebatur.

Et in utroque pectoris cavo copiosissimum serum pulmones in parvam gravemque molem compressit.

Pericardium mediante quadam crusta alba, duas lineas crassa, arctissime cum cordis substantia coaluit.

Abdomen replevit aqua limpida, inodora.

Ex ovario sinistro oriebatur hydatis magna, quæ ultra libram liquoris pellucidi continuit, huic alia parva hydatis adhæsit.

Ovarium dextrum solito majus, & durius in multas cellulas perfecte cartilagineas dividebatur, quibus inerat liquor pellucidus.

Ad fundum hujus ovarii repertum est officulum rotundum, piso majori par.

Uterus paulisper distentus gessit cor-

pus glabrum, carnosum, & fundo intime accretum, quasi unam cum eodem substantiam faceret.

Hæc femina toto morbi tempore potuit supine, & in utroque latere jacere, dormire citra magnam anxietatem.

Nec unquam tussivit, nec subitas, & suffocantes e somno evigilationes passa est, quæ iis, qui hydrope pectoris afficiuntur, valde communes sunt.

CADAVER DECIMUM OCTAVUM.

HOMO, 25. ann., valida diarrhæa per duodecim dies vexabatur, quæcunque assumpsit, nullum levamen dederunt.

Tandem agyrta præbuit pulverem, qui in ore, & ventriculo ardorem adstringentem excitavit, & mox alvum retinuit.

Ardor per totum ventrem extendebatur, & ortæ sunt magnæ anxietates, & singultus.

Altero die venter in molem inæqualem elasticam elevatus est, & supervenit sitis ingens, & delirium.

Unde æger ad nosocomium deferebatur.

Nec medicamenta interna, nec externa quidquam in melius mutarunt.

Enemata nequaquam poterant injici, etenim paulo supra ani sphincterem hæsit obstaculum, nulla arte amovendum.

Demum quæcumque ingerebantur ea summa cum anxietate, & virium prostratione æger revomuit.

Ventris moles semper aucta est.

Et quarto die vita finiebatur.

Ventriculus erat crassus, parvus, hinc inde inflammatus.

Intestina tenuia omnia in tenuem chordam contracta reperiebantur.

Intestinum cæcum formavit ingentem saccum aëre elastico plenum.

Intestinum colon in septem locis quasi filo arctissime constrictum erat, quodlibet spatium autem, quod inter has constrictiones intercessit, in molem, capite infantis majorem, extensum fuit.

Ligamenta longitudinalia hinc inde manifeste rupta conspiciebantur.

In his cavis adeo amplis præter aërem inodorum, & valde elasticum nil continebatur.

Circa loca vero angustata hæsit mu-

cus tenaciſſimus, ſubfuſcus, quem guſtando chirurgus & ego acerbum, & vi maxime adſtringente, prǽditum invenimus.

Inteſtinum rectum erat rugoſum, firmiſſime clauſum.

CADAVER DECIMUM NONUM.

FEMINA, 48. annor., ante biennium ex tuſſi violenta ſenſit acutiſſimum dolorem in capitis parte dextra, hunc dolorem ſequebatur continua pulſatio in eodem loco, externe tamen nihil viſu aut tactu potuit percipi.

Venæ ſectiones, fomenta, & remedia diverſi generis nullum fere auxilium præſtiterunt.

Præter hanc pulſationem, & dolentem partis dextræ tenſionem ægra prorſus nihil conquerebatur.

Poſt anni ſpatium comparebat circa os temporale dextrum quoddam tuberculum elaſticum, pulſans, & partes externe incipiebant cum dolore tendi, & oculus ejus lateris rubuit.

Naſcebatur inde aneuriſmatis ſuſpicio; hinc vena repetitis vicibus aperta

eſt, data ſunt remedia alvum continuo moventia, externe quoque varia a variis chirurgis apponebantur.

Nihilominus tumor pulſans altior, & amplior ſenſim factus eſt, tota facies ſiniſtra ſubrubente & lividis ſtriis variegato tumore tendebatur, & maxillæ inferioris motus fiebat dolens, ſumme difficilis.

Cæteroquin autem femina videbatur ſana, appetiit, vires habuit ſat bonas, nec quidquam conqueſta eſt.

Spatio quatuor menſium tumor ovum gallinaceum adæquavit.

Quoniam autem labores ſuos more ſolito peragere non potuit, introivit tunc in noſtrum noſocomium.

Pulſus erat fortis, æqualis, vires bonæ, appetitus magnus, mens hilaris, ſomnus tranquillus.

Quamvis omnem curam poſſibilem impenderim, ut malo limites ponerentur, intra ſex tamen menſes tumor pulſans ad unius, & dimidii pugni magnitudinem accrevit.

Pulſus ſemper manſit æqualis, reſpiratio libera, vires bonæ, oculus dexter multum rubuit, ſiniſter autem erat ſanus, vivus.

Dominus COLLIN ſæpius mecum

mirabatur, quod tantus in capite tumor pulſans non pejora produceret ſymptomata, nec ſomnum turbaret.

Pulſatio in tumore cordis & arteriarum pulſui correſpondit.

Hæc tamen pulſatio fiebat eo mollior, & minor, quo majus incrementum tumor cœpit.

Poſtquam hæc ægra per octo menſes ſat commode in noſocomio vixit, tunc ſubito collabebantur vires, pulſus factus eſt debilis, inæqualis, tumor pulſans mole minuebatur, appetitus evanuit, & noctes fuerunt inquietæ.

Ægra tamen præter tenſionem dolentem in parte dextra nullum dolorem, nullam ſitim conquerebatur, vox manſit diſtincta, clara, & memoria ſemper firma.

A cibis autem omnibus ægra abhorruit; unde intra quatuor ſeptimanas contabuit.

Poſt mortem tumor erat mollis, nec multum eminuit.

Hujus tamen tumoris portio pugno virili major, acumine obtuſo verſus interiora cranii penetravit, & totam cerebri dextri ſubſtantiam compreſſit.

Nullum in tota plaga dextra cranium

inveniebatur, etenim omne os in membranam redactum est.

Tumoris materies, variegata, atheromate, concreto quasi sanguine, & quadam veluti carnositate constabat.

Tumor parte sua inferiore removit capitulum maxillæ inferioris ab ejus cum osse temporum articulatione, & replevit pollicis latitudine intermedium ibidem locum.

Maxillæ capitulum erat totum exesum, ut & capsula, & cartilago intermedia.

Ex eodem latere dextro erat corrosum os jugale, pars maxillæ superioris, pars palati ossei postici una cum processibus pterygoideis, plus quam media pars ossis petrosi per universam ejus longitudinem.

Simul deerat antrum hygmori, os spongiosum inferius, & fere totum os multiforme ex latere dextro.

In oculo dextro erat nervus opticus emarcidus, cornea opaca, lens crystallina, plana, dura, flava.

In media sutura sagittali reperiebatur foramen rotundum, veluti trepano factum, penetrans per totum cranium.

Ad finem hujus suturæ simili foramine erat os exesum.

In osse bregmatis sinistri quoque rotundum foramen detegebatur, hoc autem externam cranii laminam non penetravit, licet eam jam rodere cœperit.

Mirum! ex tanta partium consumptione, ex cerebri adeo profunda compressione, nullam apoplexiam, paralysin, nullos motus convulsivos, epilepticos &c. esse secutos.

Mirum! mentis functiones omnes semper mansisse bonas, integras.

CADAVER VIGESIMUM.

Femina, 35. annorum, pessima peripneumonia quarto morbi die necatur.

Pulmo erat totus sphacelo consumptus, & levi manu poterat in fœtidam putrefactionem comprimi.

In abdomine latuit tumor steatomatosus, concretus cum fundo uteri, & quasi ex eo prodiens, qui pondere habuit viginti tres libras civiles.

Poplite dextro similis tumor steatomatosus adhæsit, qui pondere octodecim libras civiles paulisper excessit.


Novi hanc feminam sanam, hilarem, agilemque, antequam in peripneumoniam incidit.

Tetigi hos tumores, ea nullum dolorem conquerebatur, alvum habuit liberam, appetitum magnum.

Vidi eam currendo scalas ascendisse, & varios exercuisse motus, nec impediebatur ab his tumoribus, nec unquam claudicavit.

Mirum! naturæ & consuetudinis opus.





FORMULÆ

IN NOSOCOMIO USITATÆ.

1) ℞. Nitr. antimon. dr. ß.
syrup. rub. id. unc. ij.
rob. ribes, unc. j. ß.
acet. vin. unc. j.
vini boni auſtriac. unc. iv.
decoct. hordei libr. ij.

M. S. *Sumat æger omni trihorio uncias tres.*

2) ℞. Lact. recent. lib. iv.
vin. auſtriac. unc. viij.

Bulliant ſimul per momentum, dein, coloſtro lactis per colaturam ablato, ſerum albumine ovorum purifica, & exhibe pro potu ordinario.

3) ℞. Claret. fact. ex conſerv. flor. cordial. lib. j.
ſyrup. diacod. unc. j. ß.
ſpirit. ſulph. per camp. q. ſ. ad grat.

M. S. *Sumat æger omni bihorio vel trihorio duo cochlearia.*

4) ℞. Rad. alth. unc. ij.
fol. alth. m. ij.
flor. verbasc. m. j.
consciss. coq. s. q. aq. per $\frac{1}{2}$ horam
sub finem adde
rad. fænic. unc. j.
& relinq. adhuc vase clauso per $\frac{1}{4}$
hor. in fervid. infus.
dein colat. lib. iij.
adde
stib. diaph. non abl. dr. j. ß.
oxymell. scillit. unc. ij. ß.
syrup. diacod. unc. j.

M. S. *detur omni trihorio vasculum unciarum quatuor calide.*

5) ℞. Mass. pilul. de cynogl. gr. vij.
solv. in aq. flor. rhæad. unc. ij. ß.
dein adde
syrup. flor. rhæad. unc. ß.

M. S. *Sumat æger singula dimidia hora cochleare unum.*

6) ℞. Semin. melon. unc. j.
— papav. alb. unc. ß.
f. c. decoct. hordei emuls. colat. lib. j.
adde
nitri puri gr. xx.
syrup. papav. alb. unc. j.

M. S. *Sumat æger omni hora unc. ij.*

7) ℞. Nitr. pur. gr. xx.
mucilag. gum. traga dr. ß.

syrup. diacod. unc. j. vel unc. j, ß.
aq. flor. rhæad.
— — til. aa. unc. ij.

M. S. *Sumantur omni hora duo cochlearia.*

8) ℞. Camphoræ gr. xv.
mucilagin. gum. tragacan. dr. ij.
in mortario vitreo diu tritis & subactis adde miscendo
syrup. menth. unc. ß.
— diacod. unc. j.
aq. menth. lib. j.
nitr. antimon. dr. ß.
liquor. anodyn. mineral. gtt. xv.

M. S. *Sumatur omni bihorio vel trihorio cochleare unum.*

9) ℞. Aq. laxat. disp. vien. unc. vj.
aq. meliss. unc. ij.
sal. sedliz. dr. vj.
syrup. cort. aurant. unc. ß.
liq. anod. mineral. gtt. x.

M. S. *Sumat æger omni dimidia hora unciam unam, donec probe purgetur.*

10) ℞. Rad. ypecacuanh. gr. xx.
tart. emet. gr. j.
sal. polychr. gr. x.
m. f. pulv. pro unica dosi.

11) ℞. Stib. diaph. non abl. dr. j.
oxymell. simpl. unc. ij. ß.
syrup. flor. rhæad. unc. j. ß.

m. f. linct.

12) ℞. Gum. ammon. acet. scillit. solut. dr. ij.
oxymel. scillit. unc. ij.
aq. fœnic. unc. viij.
tinct. helen. dr. ß.
spirit. nit. dulc. gtt. xx.

M. S. *Detur omni bihorio uncia una.*

13) ℞. Claret. fact. ex conserv. flor. cordial. lib. j.
syrup. diacod. unc. j.
oxymell. scillit. unc. ij.
kerm. mineral. gr. x.

M. S. *usus, ut prioris misturae.*

14) ℞. Stib. diaph. non abl. dr. j. ß.
Kerm. mineral. gr. xx.
m. f. pulvis tenuissimus, cui exacte miscendo adde
conserv. fumar. unc. j.
— nast. aq.
— becabung. aa. unc. j. ß.
syrup. de erysim. unc. j.

M. S. *Sumatur omni bihorio parvum cochleare.*

15) ℞. Stib. diaph. non abl. dr. j.
oxymel. scillit. unc. iij.
syrup. diacod. unc. j.
m. f. linct.

16) ℞. flor. benzoin. gr. xx.
stib. diaph. non abl. dr. j.

oxymell. scillit. unc. j. ß.
aq. meliss.
— menth. aa. unc. ij.
— flor. samb. unc. iij.
tinct. croc. dr. ß.

M. S. *Detur omni hora cochleare unum.*

17) ℞. Stib. diaph. non obl. dr. j.
kerm. mineral. rite parati gr. xv.
sacch. cand. alb. unc. j.
m. f. pulvis tenuissimus.

M. S. *Sumat æger omni trihorio parvum cochleare.*

18) ℞. Laud. pur. gr. j. ver j. ß.
ol. lin. purissimi unc. iij.
m. f. haustus vespertinus.

19) ℞. Flor. samb. m. iij.
conscis. infund. s. q. seri lact. ferv.
per ½ horam colat. lib. ij.
adde
nitr. pur. dr. j.
rob. samb. unc. j. ß.
syrup. 5. rad. aperient. unc. ij.

M. S. *Sumat æger omni bihorio unc. iij. calide.*

20) ℞. cort. peruv. unc. j.
syrup. flor. chamom. unc. ij.
aq. flor. chamom. lib. j.
vin. bon. austriac. unc. j. ß.

M. S. *Sumatur omni hora cochleare unum.*

21) ℞. Mell. roſac. unc. ij.
ſyrup. viol. unc. j.
ſpirit. ſal. acid. gtt. xxx.
m. f. linct.

22) ℞. Rad. ſalab. dr. iij.
ſciſſ. coq. ſ. q. aq. per $\frac{1}{2}$ hor.
colat. lib. j.
adde
ſtib. diaph. non abl. dr. j.
ſyrup. diacod. unc. j. ß.

M. *S. Dentur omni trihorio unc. iij. calide.*

23) ℞. Ol. amygdal. dulc. recenter expreſſ. unc. ß.
mucilag. gum. traga. dr. ij. ß.
in mortario vitreo diu tritis & ſubactis
adde miſcendo
ſyrup. diacod.
— capill. vener. aa. unc. j.
m. f. linctus.

24) ℞. Fol. ſalv. m. iij.
ſciſſ. infund. ſ. q. ſeri lactis ferv. per $\frac{3}{4}$ hor.
colat. lib. ij.
adde
ſyrup. ſalv. unc. j. ß.
— diacod. unc. j.

M. *S. Dentur omni trihorio diei unciae quatuor calide.*

25) ℞. Extract. cort. peruv. unc. ß.

ſolv. in aq. flor. ſambuci unc. x.
dein adde
ſyrup. diacod. unc. j.
— cort. aurant. unc. ß.
vin. generoſ. auſtr. unc. j. ß.
ſpirit. ſulph. per camp. gtt. xxx.
M. S. *Sumat æger omni bihorio unc. ij.*

26) ℞. Nit. pur. gr. xx.
ſal. polychr. dr. j.
rob. ſamb. unc. v.
M. S. *Detur quater per diem uncia dimidia.*

27) ℞. Sal. polychr. dr. j.
conſerv. naſturt. aq. unc. v.
M. S. *Uſus ut prioris.*

28) ℞. Terr. fol. tart. dr. j.
ſucc. cochlear. recent. expreſſ.
— naſt. aq. — —
aa. unc. ij.
ſyrup. de ſucc. pomor. unc. j. ß.
M. S. *Sumat æger omni trihorio unciam unam.*

29) ℞. Sal polychr.
pulv. rad. jalap. aa. dr. j.
conſerv. naſt. aq. unc. iv.
ſyrup. fumar. unc. j.
M. S. *Sumat æger omni bihorio parvum cochleare.*

30) ℞. Sal. polychr. dr. j.
pulv. cort. peruv. unc. ß.

conserv. naſt. aq. unc. ij. ß.
ſyrup. flor. chamom.
— fumar. aa. unc. j.

M. S. *Abſumatur tempore apyrexiæ.*

31) ℞. Sapon. venet. unc. ß.
ſolv. in aq. fumar. lib. j.
dein adde
ſyrup. fumar. unc. ij.
rhei elect. dr. j. ß.

M. S. *dentur omni bihorio duo cochlearia.*

32) Terr. foliat. tart. dr. j.
oxymell. ſcillit.
conserv. naſt. aq. aa. unc. ij.

M. S. *Sumat æger omni hora parvum cochleare.*

33) ℞. Spirit. ſal. ammon. dr. j.
acet. ruth. q. ſ. ut fiat perfecta ſaturatio.
aq. ruth. unc. iij.
ſyrup. gran. kerm.
— de eryſim. aa. unc. ß.

M. S. *Detur omni bihorio cochleare unum.*

34) ℞. aq. majoran. lib. j.
ſpirit. cochlear. unc. j.
— therebint. dr. ij.

M. S. *Inungantur & probe perfricentur hoc remedio partes affectæ bis terve per diem.*

35) ℞. Ol. amygd. dulc. unc. iv.

spirit. sal. ammon. dr. iij.

M. S. *Usus ut prioris.*

36) ℞. Rad. alth. unc. j. ß.
fol. alth. m. ij. ß.
flor. alth. m. j.
conscissi. coq. s. c. q. aq. per ½ hor.
colat. lib. ij. ß.
adde
syrup. moror. unc. ij.
mell. rosac. unc. j.
sal. prunell. dr. j.

M. S. *Dentur omni trihorio unciæ quatuor calide.*

37) ℞. Sal. sedliz. unc. j.
mann. elect. unc. ij.
aq. flor. samb. lib. j.
spirit. nitr. dulc. gtt. xx.

M. S. *Sumatur omni dimidia hora uncia una, donec alvus probe laxetur.*

38) ℞. Herb. agrimon.
— virg. aur. aa. m. j.
conscissi. infund. s. q. aq. ferv. per ½ hor.
colat. lib. j.
adde
mell. rosac. unc. j. ß.
sal. polychr. dr. j.
m. f. gargarisma.

39) ℞. Nitr. pur. gr. xxx.
mell. rosac. unc. ij. ß.

mucilag. ſem. cydon. aq. roſar.
extract. unc. ß.
m. f. linctus.

40) ℞. Sal. polychr. dr. j.
mell. roſac. unc. ij. ß.
ung. ægyptiac. unc. ß.

41) ℞. Scammon. gr. xij.
reſin. jalap. gr. v.
ſal. polychr.
ſacch. alb. aa. gr. x.
ol. ſtill. fœnic. gtt. j.
m. f. pulv. tenuiſſimus, pro unica doſi.

42) ℞. Sal. polychr. dr. j.
ſyrup. de ſpina cerv. unc. j. ß. vel
unc. ij.
m. f. hauſtus.

43) ℞. Rad. torment. j. ß.
ſciſſ. coq. ſ. q. aq. per horam
colat. lib. j.
adde
mell. roſac. unc. j. ß.
ſal. polychr. dr. j.
ſpirit. vin. unc. ß.
m. f. gargariſma.

44) ℞. Sal. ammon. dr. iij.
acet. ſcillit. unc. ß.
oxymell. ſcillit. unc. ij.
aq. flor. ſamb. lib. j.
m. f. gargariſma.

45) ℞. Sapon. Venet. unc. j.

solv. in aq. flor. samb. lib. j. ß.
dein adde
syrup. de erysim. unc. ij.
sal. polychr. dr. ij.
m. f. gargarisma.

46) ℞. Sem. cydon. leviter contus. unc. ß.

Affunde aqu. rosar. ferv. lib. j. & relinque vase clauso in ferv. infus. per ¼ hor. dein colat. adde
mell. rosac.
syrup. violar. aa. unc. j.
m. f. gargarisma.

47) ℞. Decoct. emoll.
ol. verbasc. aa. lib. ß.
m. f. enema.

48) ℞. Ung. nutrit dr. iij.
— popul. dr. j. ß.
m.

49) ℞. Opii pur. gr. iij.
ung. nutrit.
— popul. aa. dr. ij.
m.

50) ℞. Pulv. bezoard. alb. scrup. ij.
nitr. antimon. scrup. j.
syrup. flor. rhœad. unc. j.
aq. flor. till. unc. iij.

M. S. *Detur omni hora vel omni bihorio cochleare unum.*

51) ℞. Nitr. antimon. gr. xx.

ſyrup. menth. unc. j.
aq. menth. unc. iv.
Laud. liquid. ſydenh. gtt. xx.
liq. anod. mineral. gtt. xv.

M. *S. Sumatur omni bihorio cochleare unum.*

52) ℞. Scill. recent. unc. j.
pulv. cort. cinnamom.
— — winter. aa. unc. ß.
vin. bon. auſtriac. montan. lib. ij.

M. & relinque in leni digeſtione per 24 horas, ut fiat vinum medicatum, dein colat. adde
ſyrup. 5. rad. aperient. unc. iij.
ſpirit. nitr. dulc. unc. j.
— menth. dr. j. ß.

M. *S. Sumat æger omni trihorio unciam dimidiam ſenſim augendo doſin.*

53) ℞. Pulv. rad. helen. dr. j.
— — jalap. dr. ij.
ſal. ammon. dr. j. ß.
conſerv. naſt. aq. unc. v.
ſyrup. de ſpin. cerv. unc. j. ß.

M. *S. Detur omni trihorio drachma una.*

54) ℞. Lap cancr.
acet. vin. aa. dr. iij.
terr. fol. tart.
borac. venet. aa. dr. j.
ſyrup. alth. unc. ij.
aq. fœnic. unc. viij.

ſpirit. nitr. dulc. dr. ß.

M. *S. Detur omni trihorio uncia una.*

55) ℞. ſal. polychreſt.
pulv. rad. jalap.
— — valerian. ſive phu. aa. dr. j.
oxymell. ſcillit. unc. iv.

M. *S. Exhibeatur adultis quater per diem uncia, dimidia junioribus vero drach. j. vel drach. ij.*

56) ℞. Scammon.
ſuccin. ppt. aa. dr. ß.
tert. fol. tart. dr. j.
milleped. ppt. dr. ij.
ſacch. cand. alb. dr. j. ß
m. f. pulv.

M. *S. Dentur omni bihorio* gr. xv.

57) ℞. Sacch. alb. dr. ij.
ol. ſtill. menth. gtt. v.
in mortar. vitr. bene ſubactis adde
ſyrup. menth. unc. j. ß.
aq. menth. unc. x.
ſpirit. menth. dr. j. ß.

M. *S. Sumat æger omni bihorio cochleare unum.*

58) ℞. Limat. mart. non rubig.
cort. peruv.
— cinnamom.
— winter. aa. unc. ß.
m. f. pulv. cui affunde vini generoſ. auſtriac. lib. ij.

Relinque in leni digeſtione per 24. horas, dein colaturam per inclinationem exhibe.

M. S. *Detur ter de die cochleare unum ſenſim augendo doſin.*

59) ℞. Scammon.
myrrh. aa. dr. ß.
lap. cancr. dr. ij.
ſem. fœnic. dr. j. ß.
magneſ. nit. unc. ß.
m. f. pulv.

M. S. *Sumat æger quater per diem* dr. j.

60) ℞. Pulv. rad. helen.
limat. mart. non rubig, aa. dr. j. ß.
conſerv. menth. unc. ij.
ſyrup. menth. unc. j. ß.

M. S. *Detur omni quarta hora parvum cochleare ſuperbibendo aliquot uncias infuſi foliorum trifolii fibrini.*

61) ℞. borac. venet. dr. ß.
ſuccin. præparat. gr. xx.
ſyrup. menth. unc. j.
aq. meliſſ. unc. iv.
— ruth. unc. j. ß.
tinct. croc. auſtr. gtt. xx.
laud. liq. ſydenhami gtt. xvj.

M. S. *Detur omni bihorio cochleare unum.*

62) ℞. Sarcocoll.

oliban.

olibari.
mastic. aa. dr. j.
mucilag. gum. tragac. q. s.
m. f. pil. gr. iij.

S. *Dentur omni trihorio tres pilulæ.*

63) ℞. Rhei elect. scrup. ij.
myrobalan. citr. scrup. j.
ol. still. cumin. gtt. j.
m. f. pulv. pro unica dosi.

64) ℞. Scammon. dr. ß.
pulv. antispasmod. disp. Vien. dr. ij.
magnes. nitr. unc. ß.
m. f. pulv.

S. *Sumatur omni vespera. dr. j.*

65) ℞. Scammon.
resin. jalap. aa. dr. ß.
mass. pil. extract. cath. dr. j.
spirit. vin. q. s.
m. f. pil. gr. iij.

S. *Sumantur mane & vesperi tres pilulæ.*

66) ℞. Mercur. dulc. gr. xij.
solv. in aq. fumar. lib. j,
dein adde
mell. rosar.
syrup. fumar. aa. unc. j.

M. S. *Detur quater per diem uncia una.*

67) ℞. Mercur. sublim. corros. gr. vj.
solv. in spirit. frument. lib. j.

S. *Detur mane & vesperi uncia dimidia.*

68) ℞. Scamm. gr. vj.
milleped. ppt. dr. ß.
ſtib. diaph. non abl. gr. xv.
m. f. pulv. parentur tales N. viij. &
ſumat æger mane & veſperi unum.

69) ℞. Fol. abſinth.
— eupator. cannab. aa. unc. j.
conſciſſ. affunde
vini boni Auſtriac. lib. iij.
relinq. vaſe clauſo in ferv. digeſt.
per duas horas, dein colaturæ leviter expreſſæ,
adde
oxymell. ſcillit. unc. iij.
ſpirit. nitr. dulc. unc. j.
M. *S. Detur omni trihorio cochleare unum ſenſim augendo doſin.*

70) ℞. Stipit. dulc. amar. unc. ij.
ſciſſ. & leviter contuſ. infund.
ſ. q. æq. ferv. per ½ hor. dein momento ebull.
colat. lib. j. ß.
adde
oxymell. ſimpl.
ſyrup. fl. rhæad. aa. unc. j.
M. *S. Dentur omni trihorio unciæ tres.*

71) ℞. Nitr. pur. dr. j.
rob. ſamb. unc. iv.
ſyrup. diacod. unc. j. ß.

M. *S. Sumatur quater per diem uncia dimidia.*

72) ℞. Syrup. diacod. unc. ß.
aq. fl. rhæad. unc. ij.
ſpirit. ſulph. per campan. dr. ß.
m. f. hauſtus.

73) ℞. Lap. ancr.
acet. vin. aa. unc. ß.
ſyrup. 5. rad. aper. unc. j.
aq. flor. ſamb.
— fœnic. aa. unc. iij.
terr. fol. tart. dr. ß.
liq. anod. mineral. gtt. vj.

M. *S. Dentur omni trihorio duo cochlearia.*

Finis Tomi I.